BESSARIONIS

Niceni Cardinalis
orationes
De grauiſſimis periculis, quæ Rei-
publicæ Chriſtianæ à Turca
iam tum impendere
prouidebat.

Eiuſdem ad principes de pace inter
ſe conciliãda, & bello aduer
ſus Turcas ſuſcipien-
do, exhor-
tatio.

H.2.24
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AGNANIMIS PRINCIPI-
bus Eduuardo inclytiſſimo Angliæ regi, eiúſ-
que ditionis ducibus, comitibus, mar-
chionibus, & omnibus uiris præ-
claris, Guilielmus Fichetus
Pariſienſis Theologus
doctor, patria
uero Sabaudus, ſecundos
optat ſuc-
ceſſus.

NVNQVAM rex inclyte, uós que
principes magnifici breuius quicquam
ueſtræ ſerenitates legerunt, ſed ne forte
quidem audiuerunt, quod æque uo-
bis ad rem, & gloriam accederet, atq; Beſſarionis Ni
ceni Cardinalis opus: quod ad ueſtrum quenque nõ
illius tantum nomine mitto, uerum meis etiam hi-
ſce literis (perinde ac coram eloquerer) uos ad concor
diam, bellúm que foris gerẽdum precario cohortor.
Ille nanq; peropportuno ſuo conſilio (quod ad prin
cipes Italos primum perſcripſit) ueſtras quoque ſere-
nitates (quarum eſt amantiſſimus) uoluit eſſe parti-
cipes. Et quod ueſtra pro gloria conſtituit, mihi ſu-
perioribus menſibus exequendum impoſuit. quod
literis eius ad me paulo poſt ad uerbum tranſcriptis,
ipſi facile pernoſcetis. Quippe qui certiſſimam ratio-
nem excogitauit, qua mutuis affectibus, mutuíſ quę
beneficiis

beneficiis ueſtrum quiſque quenque proſequi maxi= me poſſit: omnes regere ſubditos ſibi populos paci= fice, dé que crudelibus noſtri creatoris hoſtibus agere triumphos. Alterutra pacis, ac belli nobis omnibus (qui ſummopere uos colimus) optanda res eſt: no= minis ueſtri, chriſtiani que perfidis hoſtibus appri= me nocitura: uobis, & præclaris quidem ueſtris fa= miliis memoriam multo celeberrimam, multó que longiſſimam allatura. Neque ueſtri maiores (quos tot, & tantos oculis ueſtris quotidie debetis una qui= dem in re, & altera proponere) uos rerum à ſe geſta= rum gloria ſuperabunt. ſed ne mihi quidem (quem is impoſuit (uos id cohortandi reliquus eſt locus, ſi modo Beſſarioni, dum uobis optime conſulit, tan= tiſper auſcultatis, ut qui mellifluo ſane, quo fonte ſuo manat, uos intus, nedum in cute ſatis imbuet, mirúm que in modum delectabit. Vos igitur à me non plurimum uerbis, ſed precibus tantum allecti, permoti grauiſſima Beſſarionis auctoritate, ueſtra glo ria, ré que ipſa ſatis (ut arbitror) perſuaſi, quæ monet ille, facietis. quæ uel maxime rogat, ne dum legetis ſæpius hæc: quibus profecto uobis ſecunda, hoſtibus aduerſa fata portenduntur. Valete: uobís que fauſta ſint omnia, ſed multo quidẽ fauſtiſſima, ſi Beſſario= nem ad ſummam gloriam perducturum ſequimini.

Nonis ſextilibus anno uno, & ſeptuageſimo, qua= drigenteſimóque ſupra milleſimum Pariſii ſcriptum ædibus Sorbonæ.

Eduuardo Regi.

Fauſta futura tibi rex accipe Beſſarionis
Munera, quæ proſint & foris, atque domi.

REVERENDO, ET DOCTISſimo patri magiſtro Guilielmo Ficheto ſacræ Theologiæ profeſſori in collegio Sorbonæ Pariſii amico noſtro chariſſimo Beſſario epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Nicenus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

REVERENDE, & doctiſſime pater amice noſter chariſſime, audimus nō ſolum in philoſophia, & ſacrarum literarum cognitione uos elaboraſſe, ſed etiam in eloquentiæ ſtudiis, dicendí que ratione diu uerſatos: eá que mirifice delectari. quo in genere, etſi nihil habemus, quod magnopere cupere debeatis, tamen mittere ſtatuimus orationes quaſdam hoc tempore à nobis editas pro grauiſſimis periculis, quæ Italiæ, chriſtianís que omnibus imminent: non magis quidem ut uel ſermonis puritatem, uel orationis uim, ac præſtantiam deſyderetis, quàm ut intelligatis quanta malorum procella in chriſtianæ reipublicæ capita, & for

tunas

tunas impendet: rém que & apud ſereniſſimum re-gem, & apud alios, qui opē ita maxime ferre debēt, (ut poſſunt) explicetis totam, ac perſuadeatis: quod potius acerbum eſt, quàm obſcurum, nō exarſuram Italiam tantis malorum incēdiis, quin flammarum globos longius euomant. Id, ne accidat, cum regnorum omnium cauſa optare debent: quorum ſalus in diſcrimen adducitur, tum propter immortalē deum, cuius religio ſanctiſſima uexatur, ac trahitur ad interitum, magna chriſtianorum omnium clade.

Valete. Ex urbe die. xiii. Decembris. M. CCCCLXX.

BESSARIO CARDINALIS Nicenus inclytis, atque illuſtriſſimis Italiæ principibus.

QVVM nonis ſextilibus illuſtriſſimi principes, infeliciſſimū illud nouum euboicæ euerſionis ad nos primum allatum fuiſſet, eſsém q; ſupra, quàm dici poteſt, animo anxius, atq; ſolicitus, ut uix reſpirādi cauſam uiderer habiturus, accidit forte fortuna, ut eo ipſo die, dum ita eſſem affectus, abbatis cuiuſdam uiri optimi Beſſarionis literas à Neapoli, ubi nunc monaſterio ſancti Seuerini ex cōſortio beatæ Iuſtinæ eſt præfectus, acceperim: quibus ad me ſcribebat maieſtatem regiam miro quodam animi ſtudio ad propugnationem

gnationē chriſtianæ fidei, & immaniſſimi hoſtis nō-
ſtri interitum ardentem, atque inflammatam eſſe.
illis mox reſpondi: & ut literas meas celſitudini regiæ
oſtenderet, monui. Duas præterea orationes pro tan-
tæ rei magnitudine, ac periculis chriſtianæ reipubli-
cæ imminētibus edidi. Altera demonſtratum eſt for-
tunam, periculá que iſta ad omnes pertinere. Altera
uos Italiæ optimi principes ad concordiam, bellúm-
que in hoſtes decernēdum cohortatus ſum. id enim
meo conuenire officio putaui. At quum facilius au-
ditores perſuaderi ſoleant, quo grauior auctoritas, &
fides dicendi tribuitur, Demoſthenis philoſophi no-
biliſſimi, ſummí que oratoris orationem, quam in
eius generis cauſa habuit, è græca lingua in latinam
conuerti, plane ut omnes intelligant me neque inu-
tilia, neque ampliſſimorum uirorum opinionibus
aliena conſulere. Ea omnia uobis mittenda cenſui,
ut aut ipſi Legatis, quum per publica negocia, quæ
multa quidem, & grauia ſunt, licuerit, aut aliis legen-
da, atque referenda tradatis. ſunt enim cunctis uo-
bis principibus communia. Qui ut feliciter huic no-
biliſſimæ prouinciæ præeſtis, ita ut in poſterum feli-
cius eam regatis & nos optamus, & uos conari de-
betis.

EIVSDEM.

BESSARIONI MONACHO, ET ABBATI SALVTEM.

DEPLORANTI mihi nuper chriſtianorum hominum calamitates, & acerbiſſimã Chalcidis Euboicæ euerſionem, literæ abs te redditæ fuerunt: in quibus quum ea legiſſem, quæ de regiæ maieſtatis animo, ſtudió que non mediocri ad fidem Chriſti tutãdam perſcripſiſti, collegi paululum mentem, & reſpiraui: cœpí que optare uehementer, ut re præſtet, quod uerbis ipſum promiſiſſe affirmas. Sed nos infelices, uereor ne criminibus noſtris ab immortali deo deſerti, crudeliora præterea, & grauiora patiamur: demum percunctando alter, alterum expectando, culpam in alios reiiciendo, ad ultimam labamur perniciem. O miſeros chriſtianos, ò cæcos Italos: accelerandum eſt Beſſario, ut uel ex hoc ſæculo, deo uolente, migremus in æuum illud ſempiternum, uel in aliam aliquam regionem aduolemus. Non expectemus certe Turcum inuadentem in Italiam. huc ſpectat, crede mihi, hoc agit, ad hoc ſe comparat, hoc conatu omni, & ſtudio contendit, & dicam? dicam plane. Proh dolor, aſſequetur quod cupit, niſi Italia tandem alíquando reſipiſcat, niſi à ſomno capitali,

quo

quo paulatim extinguitur, expergiſcatur : niſi con-
cors, atque uno conſenſu fortiter, totís que uiribus,
tanto furori reſiſtat, niſi omiſſis figmẽtis, cauſis, qu.s
iactare ſolet, ut iuſtæ uideantur inani uerborum fu-
co, re ipſa, opera, armis, crucis hoſtes adoriatur. Ver-
ſabatur olim in diſcrimine Bizantium, nulla Italiæ
pars miſit ſubſidia. rem alienam putabant omnes.
periculum ad ſe non pertinere falſo credebant: atqui
poſtea ſenſerunt, quot mala experti ſunt, quot chri-
ſtianorum fortunæ, opes, imperia in Turcorum do-
minationem redacta. Trapezuntiorum, Synopen-
ſium, Mitylæneorum, Peloponeſiorum, Cariæ, Cyli
tiæ, Myſiæ, Pannoniæ inferioris, Epyrotarũ, Illirico-
rum magna ex parte, poſtremo Euboicorum. Quid
ita? quia noluerũt quinquaginta millium aureorum
ſumptu in tempore opitulari Bizantio, & ab ea com
munem hoſtem propulſare. Inde nimirum hæc o-
mnia iure perditum, & tanquam ouilis foribus con
fractis lupus in oues impetum fecit, intra earum la-
tera uerſatur; inſultat cædibus, furit: & tamen eorum
quæ amiſimus, unumquodque centies millenis mil-
libus nõ imprudenter emeretur: immo uero nume-
ro infinito quinquaginta millia ſuperat. Quid nobis
cum græcis, quid cum Myſiis, Illyriis, Pannonibus?
pereant, inquiunt. Quid nobis? nobis bene ſit: in-
tereant alii. Huc ades bone uir, ita eſt, ſiquidem li-
bertas tua ſeruari poterit, at non intelligis tuis uiri-
bus, tuæ enim, chriſtianorũ uires ſunt, tuis (inquam)

exhauſtis uiribus, tanto te imbecilliorem, & inferio-
rem fore, quanto hoſtis tuus ſuperior, ac potentior
euadet, cum quo tandem tibi dimicandum eſt: ſatis
enim uideberis ab hoſte impetraſſe, ſi quod Poly-
phemus Vlixi (ut eſt in fabulis) tibi dederit, ut ulti-
mus conficiare: tibi uel inuito credendum erit, & ſer
uitus ſubeunda, quæ quum per ſe turpis ſit, tamen
conditione domini eſt turpiſſima. Obſeſſa eſt Chal-
cis in Euboia, urbs quõdam florentiſſima, unde Cu
mas in campaniam deducta eſt colonia, unde homi
nes manarunt, qui Neapolim incoluerunt, ui capta,
euerſa ferro, igní que conſumpta. Claſſis Turcorum
ampliſſima per totum Helleſpontum uagatur: fuga-
tus eſt naualis Venetorum exercitus, aufugit, latitat,
cedit loco: Turci uictoriæ furorem ſuperbiſſimum in
omnes inſulas illas debacchantur: auertunt omnem
ordinem, ætatem, ſexum in prædam, uaſtant agros,
depopulantur. Qu d ad nos? Venetis curæ ſit, recte
cum eis actum eſt. utile eſſet ſi grauioribus incom-
modis conflictarentur: quietius cæteri, & ſecurius ui-
ueremus: tantum ocio noſtro accedit, quantum illis
imperii demitur. Si quis eſt, qui malis iſtis ingemi-
ſcat, is Venetus eſt, Venetorum partibus fauet, non
eſt audiendus, contemnendus eſt. O turpem homi-
num ignorantiam, ò uæcordiam, ò inſanabile odi-
um, ò inimicitias ſtultas, & inauditas, quæ in aucto-
rum uiſcera ſæuiunt, quamuis in alios ſuſceptæ uide-
antur. Veni Beſſario, fugiamus ſimul, proximus tu
es

es periculo, ego proximus: paulo enim poſt præſto erit Brunduſii naualis Turcorum exercitus, præſto Neapoli, præſto Romæ, iam ita mari dominatur, Venetis cedentibus, quemadmodum terra: ita iſtis conſultātibus, traiicient in Apuliam multa militum millia, quibus abundant. Ab iis quotidie fient incurſiones in agrum neapolitanum, in romanum. cedamus (inquam) tanto turbini, ne nos pariter hic opprimat: infenſi illi quidem ſunt nomini meo, & tibi propter me, tametſi nullo eos unquam affeci incommodo, aut laceſſiui, non ſane quia uoluerim, ſed quòd nō potui. Locutus ſum multa cum alibi, tum in ſenatu, nunquam deſtiti ſuadere, monere, prædicere, rogare: non defuit uoluntas, quæ inimiciſſima illis eſt: hanc acriter ulciſcentur: ueni, demus locum iræ. Hui, delirat Beſſario, inſanit ſenex, frigidus, timidus eſt. profecto mi Beſſario, non inſanit Beſſario. Tu es mihi teſtis, quum Bononiæ eſſemus, & adhuc Paſchalis nuncupareris, atque allatus eſſet infeliciſſimus ille de urbis Bizantinæ excidio nuncius, ea omnia, quæ poſtea conſecuta ſunt, me futura prædixiſſe, non ea ſane de cauſa, quòd uel prudentia excellenti, uel diuinationis furore aliquo deſpicerem, quæ alii non cernerent, ſed quod omnibus, qui priuatis ſtudiis, & affectibus uacui eſſent, ea omnia palam erant, & in promptu. Tum ſibilis uulgi, honeſtorum ſermonibus explodebar, iudicabant dementem, ſomniis deditum, riſus de me non paruus (ut

ſcis)

ſcis)excitatus eſt: ſed tamen(proh dolor)euenerunt omnia, ut prædixi:caueāt qui hæc audiunt, ne idem accidat in poſterum. Non eſt timidus Beſſario in ſubeundis periculis:timidus eſt in proſpiciendis. poſſet adhuc inermis monachus, ſenex, maiorem animum & præ ſe ferre, & præſtare, quàm iſti perſuaſum habeant, modo chriſtiani principes uellēt facere quod poſſunt, quod debēt:iret ipſe in hoſtem cum militibus, cum cohortibus armatis, cum propugnatoribus crucis, ita quidem inſtructis, ut uires, ut copiæ, ut legiones hoſtiles poſtulant. Quid? Agitamúsne iſta animo cunctis ad hoc dormientibus, diffidentibus inter ſeſe, altero alterius perniciem optantibus; & molientibus? Vnús ne Beſſario cum altero, ſenes ambo incerta ualetudine, uiribus fracti, arcebūt tantum Turci impetum potentiſſimi, furioſiſſimi, ſanguinem chriſtianum anhelantis? Ineptum eſt, ſtultum, inutile. ueni, migremus alio:relinquamus principibus Italiæ curam iſtam: nam & illi nos reliquerunt, atque obaudiunt iam diu, tanquam è ſpecula clamantes, prædicentes, proponentes ante oculos eorum pericula. optemus tamen adhuc ab immortali deo ſaluatore noſtro, ut criminibus noſtris ignoſcat, & fidem cuius & lator fuit, & auctor, quam ad ſæculorum finem nunquam occaſuram pollicitus eſt in tantis malis, quæ cum impēdent, tum urgent, tueatur: non intermittamus hortari, & rogare principes noſtros, ut ad ſacrorum cæremoniarum totius prin-

cipatus

cipatus eccleſiaſtici ſalutẽ, conſilia omnia conferant, laborem, induſtriam, cogitationẽ, totum animum, atque ingenium. Appellemus Siciliæ regem florentiſſimum: rogemus ut imperii ſui finibus tutandis neque cura, neque opibus deſit. res ipſi erit cum hoſte uicino, & potẽtiſſimo. Conſulant rebus ſuis Thuſci, Ligures, inſubres, Veneti: cogitent quo pacto ab hoſtili ſæuitia tuti ſint: nulla inter oues, & lupos gratia, nullum inter prophanos homines, & chriſtianos ius amicitiæ eſt. Non donis, non muneribus pacatur hoſtis immanis, barbarus, nulla fœderis religione tenetur perfidus: non mouetur miſericordia crudeliſſimus, dominari, præeſſe, imperare, cupit, cruore, & flamma cuncta delere uult: ſubiugare ſibi cunctos ſtudet. Quis illum à tanto uictoriæ curſu retardabit? Peragrabit totum Siciliæ regnum, Romam uſque perueniet, quis erit impedimento? Hyperborei ne populi, & gẽtes remotiſſimæ? At illis tam nullus harum rerum ſenſus eſt, quàm officio alienum putant, pro aliena ſalute ſeſe in diſcrimen offerre. Galli ne, Britanni, Germani, exteræ nationes? At procul ſunt à periculo, non putant Italiam in medio periculo magna rerum perturbatione uerſantem ceſſare, aut ſopitam eſſe, quam infinitis pene triumphis, & hoſtium ſpoliis decoratam eſſe ſciunt. Itali ne, quibus hoſtis imminet, quibus cædem, ferrum, ſeruitutem, exilia denunciat, atque oſtentat? At nolunt, negligunt, non poſſunt adduci, ut credant ſeſe

adeo

adeò propinquos eſſe periculo: ſuis uiribus confi‑dunt nimium, ut plane uerendum ſit, ne in ſuis potius, quàm in hoſtis finibus caſtrametari, atque exercitum alere cogātur. Veni iam Beſſario, petamus ſolitudinem, & deſerta loca: ſatis ex rerum ciuilium ſtatu percepimus. parum nobis uitæ ſupereſt, & mihi, qui ſenior ſum, & tibi, qui imbecillior. ſi aliqua in re conſiliorum noſtrorum, uocis, corporis reipublicæ chriſtianæ uſus eſſet, manēdum ſane adhuc cenſerem, adhuc laborandum: Ego uero iam tot annis conatus, quoad potui, nihil profeſſiōe mea, nihil hac dignitate profeci. Tu quamuis tui ordinis hominibus proſis, plus tamē proficies mecum in rebus contemplandis, ubi ſi in deſidia iſta perſiſtant chriſtiani, ſoli deo uiuamus, & nobis ipſis. Alet nos, qui cœli uolatilia, & beſtias agri ſua clemētia ſatiat: neque graue, aut difficile fore arbitror diuinæ libertati, duos homunciones per quàm breui tempore, quod nobis reliquum eſt, ſuis opibus ſuſtentare. Vale.

EIVSDEM BESSARIONIS Cardinalis ad Italos de periculis imminentibus Oratio.

MVLTA ſunt profectò illuſtriſſimi, inclytí que Italiæ principes, quæ ad rem, de qua conſulimur, cogitanda, dicenda, ac facienda à nobis ſunt. ea omnia ſi perſe‑

qui

qui in præſentia uelimus, nec nos ſeruare modum in dicendo, nec uos in audiendo moleſtia carere po≈teritis. Reliquis igitur in aliud tempus reſeruatis, de una tantum particula diſſeremus: & ea quidem per≈neceſſaria, quæ ſi ſatis à nobis explicari poſſit, ita ut animis ueſtris inhæreat, ac ueritatẽ cogitatione attin≈gere ualeatis, facilis ad reliqua futura eſt uia, ut nihil amplius arduum uideri queat. Id uerò facile nos con ſecuturos arbitramur, ſi probabilibus documentis, & rationibus oſtẽdere poterimus maxima hæc, quæ impendere cernimus, pericula, & grauiſſimos, atque acerbiſſimos caſus, non unius, aut alterius, nõ trium eſſe, ſed totius chriſtianæ reipublicæ, & in primis Ita liæ communia. Etſi enim aliis quidem prius, aliis ue ro poſterius tanta calamitas imminet, ad extremum tamen una omnium futura eſt pernicies. Ac huius hoſtis noſtri tanta animi uaſtitas (utinam falſi uates ſimus) omnibus tandem miſerum, atque ignomi≈nioſum exitium allatura, niſi fortiter, magno ani≈mo, totis uiribus reſiſtatur. Qua in re ſi omnes in meam ſentẽtiam perſuadere potuero, ut non aliter, atque ego ſentio, & uerum eſt, ipſi quoque ſentiant, magnam profecto rem feciſſe, nec dimidium totius (ut ille inquit) ſed opus integrum me abſoluiſſe ar≈bitror. Quis enim adeo infirmi, atque imbecilli ani≈mi eſt, adeo ſui negligens, & propriæ ſalutis oblitus, qui ſi uiderit dei immortalis templa, domos, ſedes, aras, focos, ſepulchra maiorum, leges, libertatem, li≈

beros,

beros, patriam in periculo uerſari, non excitetur ad-
uerſus hoſtem, & non modo fortunas omnes, quas
aut habet, aut habiturus eſt, ſed uitam ipſam in di-
ſcrimen offerat, & cum dignitate cadere malit, quàm
cum ignominia ſeruire? Itaque perpetua oratione
nobis enitendum, non ut uobis principibus ſapien
tiſſimis, quibus hæc ſunt magis explorata, quàm no
bis, iſta perſuadeamus, ſed ut ante oculos iis pericu-
lum proponamus: qui dum procul admodum à pe
riculo ſe abeſſe putant, futura proſpicere nequeunt.
Iuuat igitur primum omnium de origine, & gene-
re, ac uiribus Turcorum breuiter aliquid commemo
rare, plane ut omnes intelligant, hæc Ottomannorũ
familia minima Turcorum pars, à quàm prauo, hu-
mili que principio, quàm breui tempore, ſollertia, di
ligentia, ac uigilantia ſua in tantum faſtigium uene-
rit, ut iam non modo reliquis nationibus, ſed ipſi
prouinciarum nobiliſſimæ, potentiſſimæ que Italiæ,
& imperare aſſuetæ, ſtupori, ac formidinis ſit. Tur-
corum natio quum aliquandiu Perſiam, Mediam,
Babyloniam, Arabiam, Syriam, & non nullas alias
ſuperioris Aſiæ partes tenuiſſet, tandem cum ab in-
colis ſeſe in libertatem uindicantibus, tum ab aliis
Hyperboreis populis inde expulſa, ad inferioris Aſiæ
partes confluxit: atque ibi multis, uariis que bellis
cum Græcorum imperio marte ancipiti geſtis, ita ad
extremũ ſuperior euaſit, ut Pamphiliam, Ciliciam,
Liciam, Paphlagoniam, reliquá que omnia illa loca
in

in ditionem redegerit. Sed pace foris parta, ſeditio
domi orta eſt: nam de imperio inter ſe ferro dimi=
care cœperunt. Erant inter eos ſeptem nobiliores fa=
miliæ, ad quas factionum, rerúm que omnium ſum
ma deferebatur: hæ bellorum diuturnitate feſſæ, eas,
quas diximus prouincias, ſorte potius, quàm armis,
diuidere, ac partiri inter ſe ſtatuerunt: ita quod per
exiguum, & tenue admodum imperium erat, in ſe=
ptem partes diuiſum eſt. Ottomānorum familiæ, ex
qua octauus iam regnat noſtro tempore Turcorum
princeps, Cilicia, locá que finitima obuenerũt. Hæc
Turcorum res, hoc initium, inde tanti terroris ori=
go. Interiecto deínde tempore huius, qui nunc re=
gnat Turci atauus, à quo hic ſextus ordine regni ſce
ptrum accepit, non uiribus, non diuitiis, non mili=
tum numero, non imperii magnitudine fretus, ſed
ob ciuiles diſcordias accerſitus à Græcis, in Europam
traiecit. Annus nunc ferme agitur centeſimus, & tri
geſimus, non tam iis aduerſus, quos prouocatus fue
rat, quàm iis, qui accerſiuerant, pernitioſus, & peſti=
lentiſſimus: paulatim enim ſerpens, ac ſibi, non ami
cis imperium comparans, uſque adeo auxit uires, ut
uolentes poſtea eum eiicere, non potuerint: ſatis ſe
effeciſſe arbitrati, ſi fœdere icto æquis cum eo legi=
bus uiuere impetrarent. Atqui res aliter, quàm opi=
nati fuerant, euenit: etenim gens barbara, atque
inops, ſimul ac dulcedinem frugum, & ſuauitatem
diuitiarum guſtare cœpit, nullum cupiditatis termi=

num ſtatuit. Ex paruo itaque, & debili initio uſque adeo eorum uires centum, & triginta annorum ſpatio creuerunt, ut iam non parua Europæ parte occupata, nec Danubii profundiſſimus amnis, nec Illyrii aſperrimi mõtes, eorum impetum retardare poſſint: quin flumine tranſmiſſo, & locorum difficultatibus ſuperatis, illinc per omnem Pannoniam craſſentur, hinc in mediam uſque Germaniam, & Hyſtros, & forum Iulii penetrent, depopulantes, ac fœdantes omnia, ac flores illos prouinciarum ferro, igní que uaſtantes. Quo loco illud in primis à nobis animaduertendum cenſeo, quamuis hæc omnia eo quòd diximus temporis ſpatio fecerint, plura tamen poſtremis quadraginta annis, quàm nonaginta illis ſuperioribus feciſſe. Ita enim natura comparatum eſt, ut principia uirtute quidem, ac uiribus maiora ſint, magnitudine uero, copiá que uincantur. Ex his item quadraginta annis longe plura his decem, & ſeptem patraſſe, quàm tribus, & uiginti prioribus, plura immanis iſta belua chriſtianorum ſanguinem ſemper anhelans, poſt bizantinum excidium ſolus geſſit, quàm pater eius, atque auus per omnem uitam fecere: decem (ut ſæpe à nobis explicatum eſt) interea regnis occupatis, ut palam omnibus ſit, quo magis eius uires augẽtur, eo deínde minore negotio quoſcunque aggredi uoluerit, poſſe ſuperare. Quemadmodum enim in diſciplinis, atque artibus, & omni actionis genere fieri uidemus, ut maior ſit poſtremo

quoque

quoque anno, quàm omnibus ſuperioribus profectus, unde illud quoque uulgo dici ſolet: Diteſcere, homini difficile eſſe, in immenſum uero diuitias augere facillimum. ita in rebus quoque militaribus accidit, ut uincere difficile admodum ſit, euagari poſtea per uictorias, nullius laboris. Quare perſuadere ſibi quiſque facile poteſt, quid ſceleratus hoſtis, quo nihil dici tetrius, nihil crudelius poteſt, proximo hoc quinquennio facturus ſit: tanta iam decem, & ſeptem annis potentia comparata, & priori eius potentiæ addita, magnæ ſunt eius uires, inexhauſta cupiditas, immenſa dominandi libido, ſcientia rei militaris, ætas florida, corpus laboribus aſſuetum. An igitur quum uelit, & poſſit, & ſciat, dubitare aliquis poteſt, quin toto animo, tota mente, in nos dies, noctes que feratur? An uero armatum præſtolamur domi oſcitantes, ut tunc demum credamus, quum eum ante oculos noſtros uirus exhalantem uidebimus? Non decet profecto, nec Italorum potentiæ fas eſt dicere: Non putaram. Propria itali ſanguinis eſt prudentia, propria libertas, propriũ imperium. An degenerare nobiliſſimus animus à maioribus ſuis, & quem uoluit deus cæteris imperare, ſeruire genti fœdiſſimæ ſuſtinebit? Nihil putat Turcus ſe facere dignius pcſſe, nihil nomini ſuo glorioſius, quàm ſi in Italiam exercitum ducat, & imperare ſolitam prouinciam ſuo addat imperio. Ataui eius parentem, quem primum traieciſſe in Græciam diximus, quamuis paucorum

oppidorum

oppidorum regulum, diuinis colunt honoribus, & perpetua fama, ac ſempiterna gloria celebrant, ſanctum eum, ac beatum nominant, cœleſtibus prædicant locatum ſedibus, quòd princeps bellum aduerſus chriſtianos geſſerit, & paucis quibuſdã locis ſubiugatis, ea impiæ Maumethanæ ſectæ dicauerit. Quid eos tandem erga ſe facturos exiſtimet, ſi cum tot aliis chriſtianis populis Italos quoque (quod etiam cogitare horret animus) ſubiugarit? An uero gloriæ auidum dubitare poterimus, quum hoc natura omnibus inſit, præſertim principibus, & hic ſciat nullum ſibi ad immortalitatem ampliorem patere campum? nam de utilitate ambigere, ſuperuacuum certe uidetur. Quum enim ratio hæc bifariã diuidatur, & hinc quomodo ſeruari quæ parta ſunt, illinc quo pacto augeri queant, conſyderetur: qua tandem ratione tueri quæ habet, facilius, ac certius poſſit, quàm augendo principatum, & fines imperii propagando? Solent medici in corporibus curandis ea remedia adhibere, quæ aliquando iiſdem morborum generibus utilia experti ſunt. Hoc idem Turcorum Imperator facit, & hoc quaſi medicamentum quoddam ad ea, quæ parta ſunt conſeruanda, ſaluberrimum ratus, eo ſemper utitur, huic hæret, hoc frequẽtat, immutare hoc, ut aliud experiatur, non putat tutum, cupit (ut par eſt) omníque conatu nititur conſeruare imperium: nullam ad id tutiorẽ eſſe uiam intelligit, quàm cum aliena iactura uires ſuas augere, Quod ſi aſſequi non

poſſet,

poſſet, nulla nobis timoris ratio eſſet, nulla de rebus
noſtris dubitatio. Sed (me miſerum) mentiri in hac
parte etiam uolens, non poſſum. nihil unquam ali-
cui facilius fuit. adeſt pecuniæ numerus immenſus,
multitudo militum inaudita, ut cuius exercitum ſu
pra ducenta hominum millia ſequuntur, claſſem ha-
bet, quam ſuperioribus diebus in expugnatiõe Chal
cidis non ſine ſtupore audiſtis, quanta inſtruere uix
omnis ſimul Italia poſſet. Erat ante hunc diem dun
taxat terreſtri exercitu potẽs, maris imperium adhuc
noſtris ſupererat, nunc uero ò cogitationem quoque
tantæ cladis acerbam, mare quoque chriſtianis abla-
tum, illis additum eſt. Licet ei iam libere uagari quo
libet, omnis portus, omnis maritimas ſtationes libe-
ras habet, Ambracium ſinum, portum illum nobi-
liſſimum, Apolloniam, loca quidem Italiæ finitima,
quæ olim Romanis in Græciam, eadem nũc illi uia
in Italiam erit, per quàm breue fretum, breuiſſima
nauigatio eſt: terreſtre præterea iter uſque ad forum
Iulii patens, atque apertum, mari, terrá que cingere
Italiam poteſt. Quid eſt, quod eum uel non horta-
ri, atque impellere debeat ad ea, quæ iam diu animo
propoſuit perficiẽda, uel ab iis deterrere poſſit, atque
auertere? Audiſtis multos, qui illum ſæpius Italiam
optantem, Italiam ſperantem, Italiam, ac Romam
uociferantem intellexerunt, ſi & cupit, & poſſe ſe ſpe
rat, nihil certe eſt, quod eum poſſit ab hoc propoſito
remorari, præſertim dum Italos confidit nunquam

uno conſenſu in ſe conſpiraturos, nunquam aduerſus ſe arma ſumpturos, his ille contentionibus ſpem ſuam confirmat, & quæcunque optat, ſibi facile pollicetur. Referam (quamuis nota ſit uulgo) ſabellam, qua nuper uſus dicitur, quum ex ſuis quidam diſſuadere ei bellum aduerſus chriſtianos conaretur. Nam quum ille formidādum eſſe diceret, ne chriſtiani bello irritati, tandem in unum conuenirēt, bellúm que aduerſus eum communi conſilio, & ope gererent, at ridens meminiſſe tyrannus, inquit: Illius fabulæ conuenit: quum lupi aliquando magnam canum multitudinem aduentare aduerſus ſe forte intellexiſſent, ingéns q; propterea terror eos occupaſſet, unus ex iis, qui inter eos ſenior erat, in propinquū montem profectus, cacumen eius, ut canum ſpecularetur aduentum, conſcendit. Verum quum eos multos quidem, ſed diuerſorum colorum eſſe conſpexiſſet, lætus, geſtiéns que ad ſuos reuerſus, bono (inquit) eſte animo, tanta enim eſt in hoſtibus noſtris colorum, morum, ſtudiorúm que diuerſitas, ut conſentire unâ, ac conſpirare in aliquem ſimul omnes non poſſint: ſingulos uero, ſi uenerint, abſorbere ſine difficultate poterimus. Hæc eſt tyranni ſpes, hæc cogitatio, hoc conſilium, niſi ſpe ſua fruſtretur. fruſtrabitur autem ſi uolueritis. nunquam ferocem illum animum mitiorem reddere poterit. Habet enim in armis militem, decretis, perpetuís que ſtipendiis conductum: qui ſiue domi quieſcat, ſiue foris bella gerat,

rat, idem recipit ab ærario militari ſtipendium, nullo
principis ſui ſumptu: atque eo nomine ſingulis an-
nis ad Imperatorem ſuum accedere iureiurando, ada
ctus eſt ei operam, & laborem polliceri. Habet præ-
terea longo rerum uſu plane perſpectum, & explo-
ratum, nõ alia de cauſa, tantam gloriæ, fortunarum,
imperii acceſſionem ſibi factam eſſe, quàm quod per
petuis bellorum laboribus ſuos exercuit, hoſtes pro-
fligauit: à quo inſtituto nunquam diſcedet, ne quod
utile, quod glorioſum, quod neceſſarium ſibi eſſe in-
telligit, ſtulte omittat. Quo pacto bone Ieſu ſperare
poſſumus, aut ſuſpicari illum non moliturum ſerui
tutem, cædem, fidei noſtræ interitum? Nón ne ita
natura comparatum eſſe intelligit, ut nihil eodẽ ſitu
permaneat, ſed cuncta iugi, uario, nouo motu agan
tur? Quòd ſi amplum habet imperium, íd que re-
rum omnium lege moueri oportet, nón ne immi-
nuetur, niſi augeatur? Ne putaueris Turcum augen
di imperii ſtudioſum, & cupidum, at certe eſt conſer
uandi. Conſeruare uero non poterit, niſi augeat: ſi-
quidem regreſſurum eſt, quod non progrediatur, la-
pſurum, quod non ſurgat, ruiturum, quod non ma
ius efficiatur. Qua confirmatus opinione, exercitum
ſuum auget in dies, quem habet ampliſſimum: alie-
na inuadit, ne ſua amittat. An uero ſumptus ingen
tes, tot millium pericula, & uulnera, tot expeditio-
nes grauiſſimas, atque alieniſſimo tempore, pro My
ſiorum exiguo imperio, pro Tribalorum montibus

aſperrimis,

aſperrimis, pro Illyriorum penuria, eum ſuſcepiſſe putatis? Pro Italiæ autem opibus, pro agrorum fe-racitate, pro ſuauitate frugum, pro hac ipſa luce, in qua uerſari cupit, non maiora facturum? Hic arcem ponere, hic præſidia collocare, ad reliquum orbē ſub iugandum cogitat, atque ita cogitat, ut per hoſtium ſuorum diſſenſionem id ſe facile conſecuturum ſpe-ret. eadem animo concipit, quæ Pyrrhus meditaba-tur: ille enim ſuſo Romanorum exercitu, totũ ſibi terrarum orbis imperium plane pollicebatur. Quem quum Cyneas Theſſalus orator ſummus, uír que ſa-pientiſſimus, ab Italiæ inuadendæ conſilio abducere conarctur, Egregii (inquit) bello Romani eſſe dicun-tur, magnó que uirorum fortium, & militum nu-mero imperare: quòd ſi eos ſuperare nobis dii dede-rint, quid tum agemus Pyrrhe? quid erit (inquit) no bis? Nulla præterea mœnia, neque græca, neque la-tina, Romanis ſuperatis, noſtrum impetũ ſuſtinere ualebunt. Totam è ueſtigio Italiam occupabimus; cuius cum amplitudinem, tum uirtutem, minime ignoras. occupata uero Italia, quid tum (inquit rex) faciemus? Proxima (inquit) Sicilia inſula felix, & ho minum multitudine frequentiſſima, ſeſe nobis de-det. ea autem facile capi poteſt: nam ſeditionibus, bellis ciuilibus, magno rerũ tumultu fluctuat. Tum Cyneas, an tibi erit rex bellorũ finis Sicilia? Dii (in quit) faueant Cynea: nam Lybiam, proximás que prouincias adoriri, & Carthaginem ſuperare facilli-

mum

mum erit: quam Agathocles exigua claſſe profectus, parum abſuit, quin caperet. Quibus uictis, nullus nos amplius bello hoſtis laceſſere audebit, ſed cuncti in ditionem uenient. Ita eſt, inquit Cyneas: conſtat enim te Macedoniam, totám que Græciam in poteſtate habiturum. ſed partis omnibus, quid tandem agemus? At ille ridens, otio utemur (inquit) conuiuiis, uoluptatibus, literariis confabulationibus. At quid prohibet (inquit) nunc quoque uoluptatibus, otio iſto uti, & diſputatiōibus? Quid tantis laboribus, moleſtiis, periculis quærimus, quæ quum uolumus, efficere poſſumus? His uerbis Cyneas regem potius offendit, quàm à ſpe, & conſilio inſtituto deterruit. Hæc uobis recenſui, ut non defuiſſe cognoſcatis, qui eadem cupiditate incenderetur, qua Turcus inflammatus eſt. At Pyrrhus non Cyneæ auctoritate, & uerbis, quo chariorem habebat neminem, non paucitate militum, non romani nominis fama eximia, ab Italia deterreri potuit: & Turcus non audebit? qui Pyrrho militum robore, finium magnitudine longe locupletior eſt: qui Italiam uiribus, & ſtudiis diſſipatam non ignorat: qui Pyrrhi geſta irridere ſolet, Alexandro ſuam æquare uirtutem. Nam Alexandrum Macedonum regem ad res gerendas, ad æmulationem gloriæ ſibi imitandum propoſuit, illum ipſum Alexandrum, qui quum Anaxagoram plures mundos eſſe diſputantem audiſſet, ingemuiſſe dicitur, & lachrymas emiſiſſe, quòd unum ſaltem ex

iis totum in ditionem redigere nequiuiſſet. Illius ge ſta legit, in illo totus uerſatur: neque ſane ſe inferiorem putat, quum iactare plærunque ſoleat, & uocem illam frequētiſſime uſurpare, ſe decima amplius parte Alexandro ſuperiorem eſſe. Illum enim cum triginta hominum millibus dum taxat, & ſeptuaginta talentis arma per terrarum orbem circuntuliſſe, ſe uero quanto paratiorem, ditiorē, rebus omnibus abundantiorem? Solent hæ cogitationes, hæc æmulationis ſtudia, ſolent plærunque res magnas parere, & eo peruenire, quo intēdunt, præſertim ſi facultas adſit. Ad ea profecto Turco nō deeſt, qui ſe eo, quem imitatur, locupletiorem exiſtimat. ſic Theſeus Herculis, ſic Themiſtocles Milciadis exemplo ducti, maxima facinora ediderunt. Habet profecto neſcio quid fatale Alexandri imitatio, quum ea Iulius Cæſar incenſus, poſt res præclariſſime geſtas, in patriam etiam, in ciuilem ſanguinem arma conuerterit. Quod ſi illius exemplo agit, qui Lybiam, Aſiam, totū ferme orbē ſubiugauit, ſi illius perſequitur ueſtigia, ſi propagandis imperii finibus laudem non modo æquaturum, ſed tanto magis ſuperaturum confidit, quanto maiores copias triginta hominum millibus, grandiorem pecuniam ſeptuaginta talētis habet, quo tandem eum ſpectare, & conari exiſtimamus? Quid ſibi poſtulat cupiditas illa pacis cum illuſtriſſimo, piiſſimó que Siciliæ rege componendæ? Quid miſſi legati? Nam qui nomen chriſtianū odio habet, omniá

que

que crudelitatis genere inſectatur, & deſpicit, nullo
quidem chriſtianorum metu, nullo amore, nulla gra
tia, chriſtiani regis fœdus deſyderat, ſed ut ſingulis
oppreſſis, quos uniuerſos eodem impetu non euerti
poſſe intelligit, tandem quid cupit, aſſequatur. At ue
ro infelicem illum ſua fallit ſpes, & opinio, quum ſu
perioribus diebus magnifice, regé que chriſtiano di-
gne, indytus rex legatum dimiſerit eo reſponſo, ut
non ſolum pernitioſam bonis omnibus ſocietatem
aſpernatus eſſe, ſed etiam bellum hoſti indixiſſe pro
Chriſti religione facile uideatur. Et ne ulla omnino
ex parte quid meditetur, obſcurum ſit, cogitate pa-
rumper quid illa humanitas ſibi uult, qua immanis
barbarus, & ad ſæuitiam natus, erga nominis noſtri
negotiatores intra fines ſuos utitur. Portendit profe-
cto aliud, & omnino prodigium eſt, efferum mon-
ſtrum, in noſtros potiſſimum manſuetum illic fie-
ri, à crudeliſſimo hoſte amicitiam, à truculentiſſimo
pietatem ſimulari. non diu perſeuerat, quod ab in-
uito exprimitur: ſeruit temporibus, dum ad opta-
tum finẽ perueniat, & quid agat adhuc ignoramus?
quum præſertim ita agat, ut nos ambigere nolit. nõ
continebit domi tantum exercitum, non patietur
ſuorum militum animos effœminari, quos in armis
habere ipſi neceſſe eſt. Habet enim nõ paucos Aſia-
nos populos infenſos, & in ſuam perniciem immi-
nentes, quos in ſe impetum facturos aperte intelli-
git, ſi aut arma depoſuerit, aut exercitus famam in

contemptum,

contẽptum, ludibriúm que adduci permiſerit: quem ut laudibus ornatiſſimum reddat, ut aſianis hoſtibus formidoloſum efficiat, quo tandem tranſmittere cogitat? Vbi ſui conſilii alendi ſegetem uberiorem uidet? Vbi magis admiranda conari poteſt? Non excident gladii, non fluent arma de manibus: nam ſocios in officio, & fide continere ſtudet: & eos ipſos, quibus cum quotidie uiuit, maxime eſt ſuis omnibus inuiſus, oderunt ſocii, nõ amant familiares, paruo momento ad ipſius excidium, ac necem omnes impellerentur. Id quoniam exploratũ habet, & compertum, bella peregrina ſuſcipere, gerere, conficere ſtatuit, ne domeſticam, ciuilém que ſeditionem experiatur, uſús que Scipionis conſilio, foris pugnare utilius arbitratur, quàm domi uinci. An extra fines ducturus ſit exercitum adhuc dubitas? nõ ſentis? non plane perſpicis? nónne ſatis nouimus impuriſſimam illius naturam, turpiſſimam uitam, ſceleratam conſuetudinem? Quam facem bone deus, quod facinus, quam ſuperbiam. nihil eſt, quod animo non ſorbeat, nihil quod non hauriat cogitatione; & non putamus illum in noſtram calamitatẽ incumbere? In quorũ fortuna fideliſſimos ſocios, antiquiſſimam religionem, uim, tormenta, cruces, ſpe, ſumptu, labore defixit. Ne illud quæſo mihi obiicias, quid nõ nulli nullo rerum uſu præditi, nulla uetuſtatis memoria eruditi iactare ſolent, peregrinas nationes nunquam Italiam tenuiſſe, eam ſæpenumero tentaſſe in-

feliciter:

feliciter:etenim dum antiqua memoria repeto,dum rerum geſtarum ſeriem ad noſtra uſque tempora de=duco,exteras gentes in Italiam prius arma intuliſſe, ingentés que inuexiſſe calamitates, quàm ab Italia accepiſſe,plane comperio.nam,ut Gallos omittam, qui uel eo tempore,quo ad Cluſium pugnatum eſt, (ut Plutarchus noſter tradit)uel ducentis ante annis, ut Liuio Romano placet,in Italiam duxerunt exercitum,parua manus Gothorum ex Thracia,Pannoniá que erumpens exercitu collectitio in Italiam ue=nit. Vaſtatís que Italiæ agris, incenſis urbibus, hæc ipſa mœnia ui ceperunt,incēdio, ferro,cæde,omnia complētes. Illi parua manu inſtructi,ſtoliditate qua=dam geſtientes,aſſequi potuerunt:quid Turcus ma=ximis copiis,certo,pertinaci que conſilio ſuſcipere, ac tentare non audeat? Illi per itinera omnium diſ=ficillima tranſgreſſi ſunt:at Turcus maritimo,& ex=pedito curſu legiones ſuas traiicere dubitabitur ? Illi in Italiam,quæ alter orbis dicebatur,irruperunt:Turcus ita Italiæ uires tentauit,ut contemnat,& nō au=debit? Quid (ſi antiqua conſectari libet) Pyrrhi lu=ctuoſum aduentum commemorem? Quid Alexan=dri Moloſſi? Quid Archidanuageſilai filii? Quid Hannibalis buſta? Nimis magna,nimis uetera nomina repeto. Quid ab Atilla,Totilla ſarracenis illatas clades oratione mea refricem? At Pyrrhus (credo)potuit, quod Turcus nequeat. Ille ſaluis tot ducibus,tot ex=ercitibus, quot ſecundum poſtea punicum bellum

abſumpſit,

abſumpſit, ad urbis prope mœnia uictore exercitu, contendit. Turcus, qui Epyrum, Macedoniam, totám que Græciam, tot imperia ſubegit, Italiam in tot principatus, & ſtudia diſſipatam, ac diſſentientem timebit? non adorietur? non? Heu me miſerum, neſcio quo orationis curſu eò deducor, quod dicere horreo, quid dolor exprimere non ſinit. At ne in ueteribus tantum uerſari uidear, in quibus quadrata agmina, iurati milites, tanta imperatorũ uirtus, tanta legionum patientia, & diſciplina conſtabat, ut ad recentiora noſtra reuertatur oratio, quid Vnnorum, ac Vandalorum manus incognita? inuſta ſunt, inuſta his ipſis mœnibus ſempiterna illorũ iniuriæ monumenta. At ſi poſt urbem chriſtiano nomine conditam, exempla te mouent, Leonis pontificis maximi temporibus Atillas (de quo paulo ante uerba feci) ſubacta tota Gallia Ciſalpina, ad urbem reuertendam exercitum admouit: cuius furorem barbarum, & agreſtem, pontificis eloquentia retardauit. Quòd ſi poſt Hannibalem, & ueteres illas uictorias, ſi poſt nomen Chriſti peruulgatum, exterorũ hominum ſentina ad Italiæ gubernacula confluxit, quid tandem tantam hoc tempore procellam non timemus? Quæ profecto tantos calamitatũ fluctus allatura eſt, ſi erumperit, ut ad nullum ita ſit peruentura, quin in cæterorum capita redundet. Nam ut in tempeſtate cernimus procellas, quum in ſcopulum, in quem ferebantur, ſæuitiã illiſerint, tanto motu referri, ut quam

occupauerint

occupauerint nauē, nō aliter obruant, quàm quum integræ erant: ita uobis omnibus barbarorum inundationem timendam cenſeo. Non enim hoſtis de una, aut altera urbe certare uult. de rerum ſumma ſibi ferro decernendum ſtatuit. Qui dominari cupit, neque ſuperiorem ferre poteſt, neque parem patitur, neque principis nomen amat. Atque (ut illud omittam) graue eſſe ab aliquo aliquid ſperare, miſerum ex aliena libidine ſalutem ſuſpenſam habere, turpiſſimum, & luctuoſum à communi omnium hoſte priuatam expectare ueniam. Quæ pax tibi cum eo eſſe poteſt, cuius acerbitas in noſtros homines ultra mortem progreditur? Qui nullo ſupplicio ſatiari poteſt, à quo ſi tormenta, & cruciatus abſint in noſtrorum morte, mortem in beneficii partem accipias. ò crudelitatem inuſitatam, inauditam, feram, barbaram, cum eo pax eſſe poteſt? Pace ſi frui uolumus, bellum gerendum eſt, ſi bellum omittimus, pace nunquam fruemur. Quare quum à tam paruo initio in tantum creuerit faſtigii hoſtis noſter, quum ſciat, uelit, & poſſit adoriri Italiam: quum id ſæpenumero factum fuiſſe audieritis, ita ut ad omnes periculum attineat, propulſate, ac propellite hoſtis impetum, ut incolumitatē uobis, libertatem Italiæ, ſalutem omnibus conſeruetis.

EIVSDEM DE DISCORDIIS SEDANDIS, ET BELLO IN TVRCVM DECERNENDO.

SATIS ut arbitror, de periculis toti Italiæ imminentibus heſterna oratione diſputatum eſt: quæ quum & aperta ſint, & grauiſſima, reliquum eſſe uideo, ut omni conatu, communí que conſilio, & ope ea propulſemus, atque in hoſtium noſtrorum capita, dum licet, dum integrum eſt, retorqueamus. Quum uero id recte fieri non poſſit, niſi omnibus ſedatis diſcordiis, ſimultatibus, odiis, denique cunctis ſuſpitiōibus de medio ſublatis, libero conſenſu hoſtē adoriamur: danda in primis opera eſt, ut Italiæ communi percuſſo fœdere, idem ſentiamus omnes, idē uelimus, atque optemus. Quòd ſi in eo exponēdo uerſari uoluero, quod ad rem noſtram maxime attinere uidetur, quot commoda, quam utilitatem, quam denique felicitatē concordia, & animorum in idem conſpiratio, cum ciuitatibus, tum prouinciis afferat, ſcio non nullos ita me audituros, ut nihil quidem noui, ſed plane cognita, & peruulgata omnia me narrare arbitrētur: quum nemo illud ignoret, quantam uim in rebus uel parādis, uel tuendis, concordia habeat. iis ergo non immerito reſponderim: Cur meam igitur

tur

tur expectatis orationem? Quin ſponte eam ampleſctimini? quam adeo utilem eſſe, atque neceſſariam intelligitis, ut niſi adſit, nihil æquũ, nihil honeſtum, nihil ſanctum fieri poſſit. Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Quicquid in cœlo, atque inter mortales optimum eſt, id omne à concordia proficiſcitur, & pendet. nõ prouinciis dun taxat, urbibus, conuenticulis, domui, ſed priuato homini maxime neceſſaria eſt. Quid enim homine tur pius, qui ſibi ipſe non conſtet? qui & uariis, repugnantibús que conſiliis, & contrariis actionibus agitetur? quis non deſpicit? quis non deridet? Leuem, inconſtantem, nullius ordinis hominem cenſemus. Quicquid conatur, & aſſequitur, calamitate, ignominia, pernitie refertum eſt: nam dum ſibi ipſe diſſidet, nihil cum ſuis commodis, aut ornamentis conſentaneum habet. In re autem familiari quod officium eſſe poteſt, ſi uxor, liberi, ſerui, mutuis odiis conflictentur? Pater familias domeſticis diſſenſionibus labefactatus, nullam ponit in re familiari augen da operam: lachrymis cõficietur, dum per diſcordiam totam domum ruituram facile proſpicit. miſer domi, foris ridiculus. inde nimirũ illud eſt, quod apud poetam ſapientiſſimum: Vlixes à Nauſicaa Alcinoi regis filia maximis affectus beneficiis, nihil habuit, quod felicius optari poſſe arbitraretur, quàm uirum, liberós que cõcordes, quo nihil ſuauius ait, nihil aut inimicis moleſtius, aut amicis iucũdius accidere poſ

ſe. At quid miſerius, quid humana indignius ſocie-
tate, quàm quum ciuitates, aut prouinciæ domeſticis
ſeditionibus, bellís que ciuilibus conficiuntur? Nam
quos neceſſarios, fratres, parentes, natura genuit, ho-
ſtes, & alienos diſcordia efficit: ubi & uincere luctuo-
ſum eſt, & cadere ſceleratum, atque neſarium. Bel-
lum domeſticum eo grauius externo eſt, quòd ex-
ternum non nullam alíquando affert utilitatem, ſæ-
pé que ita ſuſcipitur, ut in pace uiuamus: ciuile uero
profuit unquam nemini. De bello externo ſæpe con
ſultamus, an gerendum ſit: ciuile autem nunquam
in deliberationem uenit. Nam quemadmodum nõ
de rebus neceſſariis, ſed de dubiis conſilium initur,
ita neque de iis, quæ ad utramuis partem exploratæ
ſunt. quo in genere ſeditio eſt: quam qui amat, nec
priuatos focos, nec publica libertatis iura chara habe
re uidetur. Tyrannidẽ inuiſam bonis omnibus, ma
ximé que pernitioſam ciuitatibus eſſe, plane omnes
perſuaſum habemus. At tyrãni urbes nõ nunquam
opibus, potentiá que amplificarunt, & in magnum
auxere imperium, quod uel in hoſte noſtro facile co
gnitum, perſpicuúm que eſt: qui quum tyrãnorum
omnium crudeliſſimus ſit, tamen quaſcũque uel ur-
bes, uel prouincias ſuo adiecit imperio, potentiores
effecit. Per ſeditionem uero ciuilem quis mihi un-
quam demonſtrauerit, quænã mœnia firmiora ſunt,
uel quæ potius non funditus euerſa? Itaque ſi tyran
nis homini libero cuique fortiſſimo fugienda eſt, an
de

de diſcordia eſt cogitandum? Et qui tyrannidem uel capitis periculo propulſandam putabit, ciuile bellum (quod acerbius eſt, & luctuoſius) ſponte conſectabitur? Solemus cum priuatis precibus, tum publicis ſupplicationibus à deo optimo maximo pacē, concordiám que petere, & quod ſcimus nobis pernitioſum fore, quod deprecamur, quod dei noſtri ope declinare nitimur, id dedita opera, libentér que perſequemur. Quid tandē hoc aliud eſt, niſi hoſtium noſtrorum rem agere, & quod illi ſuis profanis precibus contendunt, maxime efficere? Illis enim primæ omnium preces ſunt, multis quidem notæ, uobis fortaſſis minime, ut inter ſuos pax, animorum conſenſus, quies: inter chriſtianos odium uigeat, ſeditio, bella ciuilia. uolumús ne illorum libidini ſatisfacere? At hoc eſt hoſtis utilitati conſulere, & illis commodum noſtro incommodo parare. Præcepta (ni fallor) ut ſæpe uidi, & legi, quæ in urbibus regendis, bellís que feliciter conficiendis, uobis præſcripta ſunt, aliter ſtatuunt, & docent: ut ſcilicet exploratis hoſtium conſiliis, contraria efficiatis, ſi in Republica ſtatum retinere, ſi in bello uictoriam conſequi uelitis. An uero committendum eſt, ut qui nobis luctum, terrorem, tormenta, cædem, denunciat, noſtra lætetur culpa, & exultet? Excitandus eſt hoc loco Neſtor ille homericus, qui Agamēnonem Achilli conciliare cupiens, his uerbis ſapientiſſime uſus eſt.

Proh ſuperi, horrendus graias feſtinat in urbes

Luctus,

Luctus, quem magno Priamus, Priamí que nepotes
Mercentur, quum uos tanto concurrere motu
Irarum audierint: duo, qui per caſtra pelaſgum
Conſilio, atque armis claros ſuperatis Achiuos.
At nobis parere ambo.

Non dicam, ut ille, quoniam ſenior uobis ſum,
& plura uidi: ſed quod plura ſum paſſus, plures ab
hoſte calamitates accepi, qui amicos, parentes, patri⸗
am, quæ homini in uita iucũdiſſima ſunt, per maxi
mos dolores, & cruciatus mihi eripuit. Quæ etſi pru
dentia ueſtra, ac ſapienria animo complecti, & per⸗
ſpicere poteſtis, tamen ſenſus dolorem pluris facit,
qui ea, quæ cæteri audiũt, perpeſſus eſt. Non ita ani
mo inhærent, quæ aut auribus percipimus, aut cerni
mus oculis, ut ea imprimuntur, quæ uel ſua, uel ſuo
rum uulnera, neces, tormẽta, per ſummam hoſtium
crudelitatem intulerunt. Credite experto, credite paſ
ſo, nihil aliud miſeram extinxit Græciam, niſi diſcor
dia: nihil aliud eam orbis partem deleuit, niſi bella ci
uilia, neque ſolum noſtra memoria, ſed etiam priſcis
temporibus: nam Philippus Amyntæ filius, Alexan
dri magni pater, per Athenienſium, Lacedæmonio⸗
rum, Thebanorum, aliorúm que mutua odia Græ⸗
ciam euertit. quandiu communi ope, & conſilio bel
la gerebant, fugabant hoſtem, exuebant caſtris, ſupe
rabant. Quum uero alii aliis non fidere, finitimúm
que inuadere inſtituerunt, hoſtis ad alteras partes ac⸗
cerſitus, non minus à quibus uocabatur, quàm ad⸗
uerſus

uerſus quos prouocatus erat, pernitioſus, ſenſim cunctos oppreſſit. Athenienſes bello peloponeſiaco quum eadem animorum conſpiratione deuincti eſſent, neque terra, ubi Lacedæmoniorum uires ampliſſimæ erant, neque mari quicquam ab hoſte incommodi acceperunt: immo uero maximas ſtrages hoſti intulerunt, atque ita intulerunt, ut quod nunquam ſando auditum eſſet, quadrigenti amplius Lacedæmoniorum milites, quibus patrius mos, & præceptum erat, Aut uincere in bello, aut morte hoſtium manibus ſeſe eripere, captiui Athenas in triumphum ducti ſunt. Quum uero hoſtem domi inuenire, bellíſque ciuilibus ſeſe conterere cœperunt, eorum claſſis firmiſſima, atque ampliſſima in Lacedæmoniorum ditionem redacta eſt, portus eorum cuſtodia amiſſa; urbis mœnia ſolo æquata. Quid uero quum Xerxes Perſarum rex potentiſſimus quinquageſies centenis hominum millibus, claſſe mille, ducentís que nauibus inſtructa, in Græciam inuaderet, eos ſeruauit, uictores reddidit, ſempiterna fama, & laude ornauit, niſi concordia, pax, idem in hoſtem animus? Quòd ſi communi robore, atque exercitu hoſtem nõ propulſaſſent, quid tandem prohibibuiſſet, quo minus ad unum omnes bello abſumpti fuiſſent? Idem uobis imminere cernitis periculum, idem exitium, eodem modo arcere hoſtis impetũ debetis, quum nullo alio poſſitis eidem morbo, idem medicamentum apposite conuenit, quod ſatis quidem ualidum eſt.

Nam

Nam ſi Græci, quamuis Xerxis uiribus longe infe-riora eſſent, tamen concordia duce, hoſtem ſupera-runt. quid tandem uos agere diuina fauente gratia, poteritis concordes, & communibus uiribus? qui ho minum numero non pauciores, uirtute longe eſtis præſtantiores hoſtibus. O ſi dies ille mihi illuceſcat, quo abolitis, ſepultis que odiis omnibus, pari con-ſenſu hoſtem aggrediamini, nulla mihi præterea du-bitatio relicta eſt de uictoria. Iam uicimus, &, ut ite rum plane dicam, uicimus. Illud quæſo, animis ue-ſtris parumper concipite principes optimi, quemad-modum in naui ſeditio orta, pernicioſiſſima eſt, ita eſſe in ciuitate: & ut in ciuitate grauis eſt, ita in pro-uincia multo peſtilentior eſt: nam quo plures ſunt, eo latius morbi contagio ſerpit, eo difficilior eſt cura tio. Ac quemadmodum exercitus ordine, militúm que obedientia continetur, quæ niſi adſint, ad inter-nitionem omnia pereunt, ita in prouincia mutuus conſenſus, & beneuolētia neceſſaria eſt, inter eos præ ſertim, qui potentiores ſunt: qua re ſublata, prius ſuis uiribus conficiuntur, quàm externis. Inſidiatur di-ſcordia, ui res extenuat, & occulta quadam ægritudi-ne imparia abſumit: atque ob eam cauſam, diſcor-diam (inquit ille) uenenum eſſe datum imperiis, ne immortalia forent: etenim perinde ac phthyſis ſen-ſim conficit, neque prius deſiſtit, quàm profligatum corpus euerterit. Non eſt contendendum, ut neceſ-ſarios, & eodem cœlo educatos homines, perpetuo

bello

bello inſectemur. Nam qui ſapienter ſuæ ſaluti conſulunt, hoſtes quidem ſemper uincere nituntur: ſuis uero non nunquam parcunt, malúnt que interdum ſuperari, quàm ſuperare. neque enim omnis uictoria utilis eſt, aut adeo profecta. fugienda eſt cadmea uictoria, & ut tragicus ille inquit: Amicis dominabere, ſi tantum non uiceris, quantum uolueris. Amicis (inquam) imperabis, quum ab amicis uinceris. Ac Demoſthenes tunc (inquit) præclara uictoria eſt, quum aut filii parentibus, aut ciues ciuibus libenter cedunt. An uero in urbium obſidionibus pernitioſum iudicatis, ſi cuſtodes inter ſe diſſideant, inter ciues autem, uel in prouinciis ſeditionem utilem fore putatis? quum in diuerſas partes itur, quum opinionum uarietate contēditur, quum unuſquiſque ſuam ſententiam pluris facit, quàm ſalutem. Contentionis duo genera tradit Heſiodus: alterū optimum, quum quiſpiam alterius imitatione adductus recte agit, alterum inimicitiarum, diſcordiæ, bellorū ſeminarium, quam prauam, infelicém que appellat, de qua Homerus.

Principio parua eſt, terram ſed protinus imis
Contingens pedibus, caput inter nubila condit.

Prior ſequenda eſt, altera penitus fugiēda. illa maxime utilis, hæc admodum pernitioſa. Nō decet uos profecto pro ingenio, eruditione, ſapientia, qua uos deus ornauit, omiſſa meliore, ſequi peiorē. Abiicienda eſt, tollenda de medio, pax, & concordia publica

ineunda.

ineunda. Quòd ſi eſt contendendum, in eo demum uobis certamen pulcherrimum, & glorioſum propoſitum eſt. Quis ueſtrum primus ſeipſum uincat, quis primus ad concordiam perueniat, quis plura, & magis egregia facinora in communem ſalutem conferat? Hæc eſt plena laudis contentio, hæc à deo hominibus data. Quid eſt, quod cuncta contineat? harmonia. Quid eſt, quod cuncta exornat? concinnitas. Cœlum hoc, quodcunque cernimus, ſphæræ, ſtellarum, ſpatia ſyderum, rerum omnium elementa, & initia, nulla alia re, niſi concordia conſtant. niſi diuinæ prouidentiæ leges ea tuerentur, non conſiſterent, ſed labefactarentur, ac ruerent. Res uero humanas, quæ fluxæ, caducæ que ſunt, & motu perpetuo circumaguntur, putas cohærere poſſe, niſi menſura, pondere, concordia regerentur? minime. Siquidem his etiam remediis adhibitis, effici non poteſt, quin ſoluantur, & intereant aliquando. Quemadmodum grauiores morbi ſunt, qui interiorē corporis partem craſſantur, & uexant, ita ſeditio aperto bello acerbior eſt: nam in altero hoſtes nobis ipſis ſumus, in altero nos tuemur. Nulli unquam ſuorum cædes profuit: quibus pereuntibus, ei grauius comparatur periculum: nam ſimul ac illorum negligunt ſalutem, ſuam hoſtibus produnt. idém que iis accidit, quod homini euenire ſolet, cuius membrum dum phagena conficit, id negligit, ſperát que reliquum corpus tutum ſore, atque incolume: tandém que ſenſim totus abſumitur,

mitur, tum demum plane intelligit id non futurum fuiſſe, ſi initio morbum curaſſet. Quid (te obſecro) manus geminas natura nobis tribuit? Quid geminos oculos? Quid duos pedes? Nimirum ut mutuo conſtent auxilio. Manus manum lauat, pes pedem ſuſtentat, ſiniſtra dextris iuuantur, & dextra leuantur ſiniſtris. illinc motus principium, hinc onera ſuſcipimus. plus gemina hæc membra efficiunt: nam altero occupato, ab altero commune præſtatur officium. Cur non ſequimur naturam ducē optimam, & magiſtram? *σύντε διερχομένω* (ut ille inquit) *μὲν ἀλλήλοις ὄνειαρ* nam quod alter perſpicere non poteſt, alteri in mentē ueniet, ac mutuo auxilio propoſitum finem attingent. Quàm bonum, & quàm iucundum eſt habitare fratres in unum, ut propheta inquit, qui multarum rerum, uarií que euentus peritiſſimus fuit: qui furore diuino concitus, homines ad concordiam prouocat. quod ne temere præceptum uideretur, Illic(ait)mandauit dominus benedictionem, & uitam uſque in ſæculum. porro eius filius prudētia præditus, ut nos à diſcordia deterreat: Quum unus(inquit) ædificat, & alter demolitur, quid aliud agūt, niſi ut fruſtra laborent? Cyrus Perſarum rex potentiſſimus, quum è uita excederet, filiis accerſitis, & imperio eis diuiſo, longiore oratiōe apud Xenophontem cunctos ad fidem mutuam, ad charitatem, ad concordiam hortatus eſt: plané que demonſtrauit eos diſperſos, ac diſſidentes: neque Reipublicæ

profuturos, neque ſibi præſidio eſſe poſſe. Id autem uſque adeo uerum, facilé que perſpectum arbitrabatur uir longo rerum uſu, maximis periculis, ingenti fortunæ uarietate ſapientiſſimus, ut rationibus apertiſſimis non contentus, oculis etiam exemplo quodam ſubiicere tentauerit. Itaque uirgarũ (ut ferunt) manipulũ afferri iuſſit, ac ſingulis imperauit, ut eum uno impetu confringerẽt, ſi poſſent. Id quum præſtare ualeret nemo, tum ſingulas perfringendas dedit: quas quum ſinguli nullo labore conficerent, An uero cernitis (inquit) filii? idem in uobis futurum, ut mutua pace deuinctos, nullus expugnare ualeat: odiis uero ſe uinctos ſuperare poſſit, qui uelit? Quare qui uos ad concordiam optimi Italiæ principes hortatur, uos ad ueſtram hortatur ſalutem, ad gloriam, ad triumphos de hoſte reportandos. Nam quid ueſtra expoſcit utilitas? concordiam. Quid ueſtra laus, ac dignitas poſtulat? concordiam. Quid hæc tempora uobis neceſſarium eſſe profitentur? concordiam. Concordiam igitur, & pacẽ amplectimini, ſuſcipite, colite, ut per eam mutuo conſenſu fortiores, belló que in hoſtem comparato, ceruicibus noſtris imminentem impetum propulſemus, hoſtẽ teterrimum, noſtrorum ſanguine cruentatum, ulciſcamur, Italiæ amplificemus dignitatem. Hoc enim bello nullum unquam iuſtius, aut magis neceſſario geſtum eſt, aut faciliorem, apertiorém que oſtendit uictoriam. nam quid æquius, quíd ue magis pium, quàm noſtrorum

ſanguinem

ſanguinem per infinitas lachrymas, & tormenta efſuſum ulciſci? Quid nefandi homines in nomē noſtrum prætermiſerunt ignominiæ, iniuriæ, cruciatus, necis? Templa ſanctiſſima per ſummam impietatem polluerunt: ſanctorum, beatæ Virginis, ipſius noſtri dei ſtatuas contemptu, riſu, omni cōtumeliæ genere perſecuti ſunt. Quid ſacras uirgines uiolatas commemorem? parentum complexibus ereptos impuberes? omni dedecore fœdatum chriſtianum nomen? Hæc ne perſequar, & rei magnitudine, & dolore impedior. Quis enim uel dicendo conſequi poſſet, uel ſine multis lachrymis audire, chriſtiani nominis ſocios fideliſſimos, equorum ungulis obtritos, ita imperante hoſte ſceleratiſſimo, atque inſpiciente, excoriatos? Sublatos in crucē, ut mortem beneficii loco acceperint? Edidit olim ſæuiſſimus Turcus omnia crudelitatis exempla in Bizantinos, quorum memoria ut refricaretur, qualis nuper Chalcidis Euboicæ tumultus fuit? quum effractis portis, ac muris tormentorum impetu deiectis, arce ui capta, armorum curſu, ferro, flammá que omnia miſcuerunt. Vnde gemitus illi ad noſtras ferme aures peruenere: cūcti militaris ætatis acerbiſſime trucidati, noſtrorū cadauera, quum mœnia oppugnarentur, At non dicam (incredibile enim eſt) immo uero dicam, quoniam ita ſe habet: noſtrorum (inquam) cadauera in uaſa impoſita, machinis bellicis intra urbem aduerſus noſtros immittebantur, O crudelitatem ante hunc diem in-

auditam,

auditam, ò perditam feritatem, ò truculentiſſimum ſæuitiæ genus. Quid tam commune uiuis, quàm ſpiritus? At noſtri captiui ita uiuūt, ut ducere animam de cœlo nō queant. Quid tam commune mortuis, quàm terra? At noſtri ita moriuntur, ut eorum oſſa per aerem ſpargātur. Quid tam commune cadaueri, quàm quies? At noſtrorum corpora ita iactantur, ut ne exanimata quidem conquieſcant. Romani quòd eorum legati paulo acerbius appellati eſſent, Corinthum urbem pulcherrimam euerterunt: nos uero ſociis crudeliſſime necatis, contempta, & deuaſtata religione noſtra, unde morum, rectæ que uitæ documenta à tam remotis nationibus petuntur, non excitabimur? non ſumemus arma? non ulciſcemur? Fabius maximus ut captiuos redimeret, agrum uendidit: & nos tot ſociorum corpora deſyderata negligemus? Theodoſius quòd Theſſalonicenſes noui uectigalis impoſitione indignati, Placidiæ ſtatuas per urbem traxiſſent, frequentem in theatro populum cædi iuſſit: nos oppugnata fide, cæſis chriſtianis hominibus, Dei noſtri maieſtate uiolata, non dolebimus? non comparabimus bellum? non ſumemus de hoſte ſupplicium? Nunquam profecto aut publicæ ſuorum iniuriæ, aut priuatæ ſalutis ratio maiore æquitate ſuaſit arma in hoſtem mouenda. Satis dixi de genere belli, quàm iuſtum ſit. Dicam ſtatim quàm ſit neceſſarium. Neque enim ille liberam quietis rationem relinquet, ingēs terra, mari que bellum molitus.

litus. Nam ſi id permitteret nemo, ſane eſſet qui bellum paci anteponeret. Sed copias inſtruxit, legiones firmiſſimas habet in capita noſtra comparatas: laceſſit, urget, ad certamen prouocat: aut bellum gerendum eſt, aut acerbiſſima ſeruitus ſubeunda. nullum deliberationi locũ reliquit. Vna nobis fortunarum, ſalutís que ſpes propoſita eſt, ut uiribus noſtris Deo maximo optimo iuuante, libertatem noſtram ſeruemus: pro qua bono uiro, & ciui non minus laborandum eſt, quàm pro ſeruorum, reí que domeſticæ incolumitate tuenda. At nemo eſt, qui uel ſeruo laceſſito, uel expilato grege, nõ grauiter ferat, armis ad iniuriam ulciſcendam non contendat, non repetat ſua, & coniugum, liberorum, patriæ rationem nullam ducemus? Quid inermes expectamus turcorum furorem? arma armis propulſantur. bellum gerendum eſt, ut in pace uiuamus. ſi bellum omittimus, pacem habemus nullã. Quòd ſi Turcus nobis quieſcentibus, maximis opibus auctus eſt, ſi languentes otio in grauiſſima damna prolapſi ſumus, quis tandem ſperare audebit nos in otio, & umbra rem feliciter geſturos? Reſipiſcendum eſt, & cum eo pacto in tanta pericula deciderimus, contrario itinere ad ſalutem, & ſecuritatem redeundum: omittenda ſegnities, bellum ſuſcipiendum. Nam (ut Paulus inquit) Non coronatur, niſi qui legitime certauerit. & Ariſtoteles: Non coronantur, qui ſpectant, ſed qui in certamen deſcẽdunt. Ii enim laude aliquid dignum

efficiunt.

efficiunt. Salus nobis domi expectanda non eſt, ſed in ſole, & puluere deferenda. nemo eſt ueſtrum, qui quum à natura tributum habeat, ut ſe, corpus, uitám que tueatur, præſtolari uelit ea, quæ nocitura ſint. hoſtis exercitum habet libertati noſtræ imminentem, uis impetum arcere? bello id aſſequi poteris, ut uim ui reprimamus. Nam ut concedam incertos exitus eſſe belli, martém que communem, tamen pro libertate, pro uitæ periculo decertandum eſt, pro deo ipſo pugnãdum, pro cuius amplitudine retinenda cadere, in æuum ſempiternum, uitám que immortalem migrare eſt. Nõ enim ſpiritu uita conſtat, ſed pietate, quæ patriæ templorum, ſtatus diuini conſeruatione maxima continetur. Quid uero ſi exploratam uictoriæ rationem habemus? Iam enim tempus, & aures ueſtræ poſtulant, ut de facultate gerendi belli, de ampliſſimo triumpho, qui nobis propoſitus eſt, aliquid dicamus: quo in loco illud plane profiteor me de hoſtium copiis, & uiribus nihil oratione meà detracturũ, ſed omnia expoſiturum magna cum fide: Atque ut inde ordiar, exercitus ille hoſtilis, illa hominum multitudo infinita non tanti roboris eſt, quanti uel non ulli putant, uel à nobis ſuperari facillime non poſſit. Magna eius pars milite tumultuario conſtat, & turba collectitia: nulla iuriſiurandi religione adacti ſunt, nulla mercede conducti, leuiſſima corpora, laboris impatientiſſima, prædam, non exercitum, ſequuntur, quaſi paulo diutius

caruerint: domum uelociſſime redeunt, nullam præ
ſtare in bello operam, nullum ſeruant ordinem: la-
trones, ſicarii, militaris diſciplinæ penitus expertes, &
qui facilius uinci poſſint, quàm uincere ſciant. Illud
ſane prorſus compertum habemus, ſeptuaginta dun
taxat eſſe hominum millia, qui ſtipendia ex publico
ærario faciāt. Sed audite me quæſo, parumper æquo
animo ex eo ſeptuaginta millium numero, præter
quindecim, uigintí ue millia ad ſummum, qui impe
ratoris ſui latus cuſtodientes, quotidianam mercedem
capiunt: reliqui omnes ſociorum prouincialium tri-
butis in bello ſuſtentātur. quæ ſane tributa adeo exi
gua ſunt, adeo ſuppeditantur tenuiter, ut toto anno
uix quatuor menſibus mercedem accipiant. Qua ex
re factum uidetis, ut nullam expeditionem quadri-
meſtri diuturniorem ſuſtineat, ſed eos omnes di-
mittat: quoniam prouinciæ pecuniam amplius non
ſubminiſtrant. Qua rerum penuria coactos Bizantii
ſæpe uidimus, quum dimitterentur, & equos, & ar-
ma, & ueſtes uendidiſſe, ut domum peruenire poſ-
ſent. Hoc robur hoſtilis exercitus, hæc magnitudo,
hic mirādus ille peditatus, & equitatus. Quòd ſi chri-
ſtianus exercitus illius fines populādo, eum toto an-
no exercitum in armis habere coegerit, aut à ſuis de
ſtitutus cum exigua manu ad pugnam impelleretur,
ubi facillime ſuperari queat, aut illis ipſis pecuniis,
quæ in eius priuatum ærarium conferuntur, totum
exercitum alat, neceſſe erit: quod quidē præſtare diu
non

non poterit. Neque enim (ut temere non nulli ia-ſtant) immenſa eſt illi pecunia: ſiquidem ex iis, qui in illius negotiis gerendis uerſati ſunt, plane cognitum eſt, non amplius quàm uigeſies centena aureorum millia ex omni reddituum ſumma ad eum deferri: unde & uiginti illa millia peditum liberaliter ſuſtentat: pro corporis ſui cuſtodia, & ſumptibus domeſticis, qui maximi ſunt, ſatisfacit. Siquid præterea ſupereſt, id omne ad arma, machinas, tormenta bellica, penitus conuertit, ut neque conflandi theſauri, neque conducendi militis ei facultas ulla præbeatur. Quòd autem tam effœminata multitudine, tam exiguis uiribus, tot imperia ſubiugarit, non mirandum magis, quàm dolendum eſt: nullum enim habuit hoſtem. Facile admodum uincere fuit non reſiſtentes. Date ſignum belli, iam facile perſpicietis eorum ignauiam. Vt enim cedentes uehementer inſequuntur, ita inſequẽtes celeriter fugiunt: caſtra caſtris conferre non audent. & ut illud repetam, uictoria eſt in manibus, modo uelitis. Nulla enim bella gerendi facultas uobis deeſt: adeſt imperatorum uirtus, militum numerus, & peritia: ſunt pecuniæ uobis, ſunt Italiæ principes, quas nõ minus hoc tempore in publicum conferre debetis, quàm priuatam quiſque ſalutem, leges, patriam charam habet. Debet unuſquiſque diligenti rerum ſuarum ratione habita, tantum erogare, quantum poteſt. Audio Bizantinos à non nullis accuſari, quòd in ſalute communi priuatæ pe-

cuniæ

cuniæ parcentes, ſua omnia hoſti prodiderunt. In quo profectò grauiſſima culpa digni ſunt, meritóque reprehenduntur, id ne ipſi quoque committamus, cauendum eſt. Ne quod in aliis tempore inutiléque fuiſſe cognouimus, & ſentimus, imprudētiſſime ſequamur. Cōparato à nobis exercitu, quid eſt, quod uictoriam, lætáque omnia non portendat, ac polliceatur? Aderit deus optimus maximus, pro cuius pietate, gloria, fide amplificanda, pugnabimus: cuius iniurias ulciſcemur. Iratus hoſti eſt, nobis proſper, qui noſtram hac in re operam, & laborem non ſolum accipit, ſed exigit, ſed repetit, ſed debitum ſibi reddi iubet. Ne timeas (inquit) à facie eorum, quia ego tecum ſum, & eruam te. Ne timeas à facie eorum, nec enim te faciam timere uultum eorum.
Bellabunt aduerſus te, & nō præualebunt, quia ego tecum ſum (ait dominus) ut liberem te. & ad Ioſue: Ecce ego dedi in manus tuas hierico, & regem eius omnésque fortes uiros. Si deus pro nobis (ut inquit apoſtolus) quis contra nos? ipſe efficiet, ut unus per ſequatur mille, & duo fugare poſſint decem millia. At nos longe numeroſiorem exercitum in bellum educere poſſumus, quàm hoſtis habeat. Quid ſi ille plures etiam homines habeat, an uictoriæ curſum retardabit? quaſi uero non plerique exercitus multitudine infiniti parua admodum manu, ſæpenumero fuſi, fugatíque fuerint, & deleti. Xerxis exercitus

Mardonio duce cum tercentum hominum millibus ab octoginta Græcorum millibus direptus, & trucidatus eſt. Ducenta Cymbrorum millia Narius deleuit octoginta millibus hominum. rurſum cum Catulo centum, & quatuor millia necauit. In Theſſalia Pompeius cum quadraginta millibus peditum ſexaginta. Cum totius orientis auxiliis, cum omni nobilitate à Cæſare fugatus eſt, & exutus caſtris, qui triginta peditum millia, mille equites habebat. Quid infinitas Tygranis copias commemorem, à Lucullo paruo exercitu ſuperatas? Hæc nimis uetera, & fabulæ fortaſſe, quàm hiſtoriæ propiora uidentur. Quid noſtra memoria? nón ne hoſtes noſtri paucorum uirtute ſæpius uicti, fugati, cæſi fuerunt? Omitto de iis uictoriam inſignem Laodiſlai Pannoniæ Regis, qui, ut olim à nobis dictum eſt, cum quatuordecim hominum millibus, qui enim plus tradunt, decem, & octo millia nō excedunt, aperto marte, iuſta acie, ſignis collatis, cum hoſte dimicauit, exercitum profligauit, ac longe, laté que fudit, Imperatore uulnerato: ac niſi uictoriam auidius perſecutus eſſet, mortí que ſeſe obieciſſet, profecto chriſtianus orbis Europam omnem retineret. Hæc omitto. ad recentiora noſtra feſtinat oratio. Quid dicam de inſigni triumpho illius chriſtianæ multitudinis, quæ nullo duce, crucis tantum ſigno armata, Turcorum exercitum omnem munitiſſimo Anderalba oppido potitum,

intra

intra mœnia ſtricto enſe diſcurrentem, magna cæde uictum eiecit, ipſo iſto Imperatore grauiter uulnerato, ac impedimentis omnibus in poteſtatē redactis: Id autem ne ſemel accidiſſe uideretur, quum impius ſceleratúsque hoſtis Pannoniam omnem inferiorem occupaſſet, omniá que armis compleſſet, & præſidiis, inclytus, regií que animi, & excelſi, Pannoniæ ſuperioris rex parua admodum manu, expugnato Iauitia oppido, & natura, & arte munitiſſimo, maximas Turcorum copias fudit, partém que prouinciæ ſuo adiecit imperio. Cum quo hoſte uobis res ſit, facile uidetis Italiæ principes: cum quo, inquies? qui multitudinē inconditam habet, atque imbellem, qui hominum numero nos quidem nō ſuperat, uirtute uero uincitur. de quo parui noſtrorū exercitus ſæpenumero triumpharunt. Id autem minime mirandum eſt: longe enim fortius, & conſtantius pugnant, qui pro morte, ſeruituté que propulſanda dimicāt, quàm qui prædam, ſpoliá que ſectantur. Nam illi parum amittunt. Si uictoria nō potiuntur, his uero cuncta pereunt, ſi ſegnius rem gerant. Pugnent (inquit Lacedæmonius) ut morituri, & non morientis. Itaque quum adeo neceſſaria uobis concordia ſit principes præſtantiſſimi, cum alias, tum hoc tempore in primis, & ad priuatas fortunas tutandas, & ad communem defendendam ſalutem, concordiam amplectamur omni ſtudio, & cōſenſu. Bellum iuſtiſſimum,

maxime

maxime glorioſum, atque utile, ad pacis ornamenta retinenda, ad Dei optimi maximi iniurias ulciſcen=das, pietatém que propagandam ſuſcipiamus. Ornemus Italiam uictoria ampliſſima, & hoſtium ſpoliis, quæ in manibus ſunt, ut nos, noſtrá que omnia metu in perpetuum, atque periculo libe=remus.

FINIS.

EIVSDEM AD EOSDEM PERSVASIO EX AVCTORITATE DEMOSTHENIS.

HAEC à nobis pro communi omnium ſalute diſputata, utinam eo ſtudio à uobis ſuſcipiantur, illuſtriſſimi Italiæ principes, quo à nobis dicta ſunt: & ita inhæreant animis ueſtris, atque perſuadeant, ut nullis amplius adhortationibus, nullíſ que rationibus opus ſit, ſed re ipſa, & opera ad defenſionem noſtram, & hoſtium propulſatione excitemini. Quod tūc facilius fieri poſſe cogitaui, ſi conſiliis meis uires aliquas adhiberem, & auctoritate alicuius uiri excellentis ea plane confirmarem: atque aliquem ex ueteribus, & ſapientia ornatiſſimum, & ampliſſimum auctoritate in medium adducerem, qui plane teſtaretur ſeſe olim in tali cauſa, qualis noſtra eſt, eadem cum ſenſiſſe, tum monuiſſe ciues ſuos, quæ à nobis, & apud pontificē maximū in ſenatu ſæpenumero diſputata ſunt: & nunc literis mandata. Venit autem in mentem Demoſthenem philoſophum excellētiſſimum, & oratorem adeo omni laude cumulatū, ut per tot ſæcula, quem cum eo conferas, extiterit nemo, in eadem incidiſſe tempora, eandem peroraſſe cauſam: denique nihil habuiſſe, quod rei noſtræ non conueniat, præter no-

mina

mina hominum ſui temporis. Itaque quum huius & auctoritatem grauiorem, & orationem magis appoſitam ad perſuadendum exiſtimarem quàm uerba mea, conſtitui, ut ipſe dicat ſententiam. Olynthus Thraciæ urbs opulentiſſima erat. Philippus Alexandri magni Macedonum regis pater, quum in Græciam uniuerſam impetum facere decreuiſſet, ſtatuit ad eam rem attinere, ut Olynthum primo in ditionem redigeret. Mouet arma in eam, depopulatur agrum, Olynthii legatos mittũt opem, imploratum ab Atheniẽſibus, Demoſthenes ſuadet opitulandum eſſe, ne Philippus ad Græciam occupandam animi infiniti, & uaſti, Olyntho capta, Athenienſes, ac reliquam Græciã opprimat. Ita enim tum Græciæ Philippus imminebat, ut nũc Turcus Italiæ. Suſtineat igitur Philippus Turci perſonã, Itali Athenienſium, nos Demoſthenis, iam facile intelliges totam orationem cauſæ noſtræ conuenire.

DEMOSTHENIS ORAtio pro ferenda ope Olynthiis aduerſus Philippum regem Macedonum.

GRANDI pecuniæ uos profectò antepoſituros arbitror Athenienſes, ſi planum fiat quidnam reipublicæ utile futurum ſit: qua de re nũc à uobis deliberatur. Quod quum ita ſe habeat, ueſtrum eſt eos attente audire uelle, qui ſententiam dicere ſtatuunt. Non ſolum enim ſi quis utile aliquid excogitatum in medium attulerit, id quum audieritis, accipietis: uerum etiam (quod ueſtra fortuna accidere exiſtimo) multa opportuna nonnullis ex tempore in mentem uenient dicenda, ut ex omnibus optio uobis detur eligendi, quod uobis ſit uſui futurum. Enimuero præſens temporis occaſio, uoce prope modũ emiſſa, rebus illis opitulandum eſſe inquit: ſiquidem earum ſalus uobis curæ eſt, nos uero neſcio quo pacto ad hæc uidemur affecti. Quæ aũt ego agenda cenſeo, hæc ſunt: Auxilia ſtatim decernenda, ac inſtruẽda quàm celerrime, ut hinc opem feratis, ne idem, quod olim pa

Audite chriſtiani principes Demoſthenem philoſophum, & oratorem iam tot ſæculis mortuum, de ſtatu hoſtis ueſtri nunc differentem eloquentiſſime, & ſapientiſſime monẽtem quid uos facere oporteat, ne in grauiora dilabamini.

tiamini, legatos mittendos, qui hæc renuncient, & rebus gerendis interſint. Etenim illud máxime uerendum eſt, ne quum Philippus uafer, & ad negocia obeunda callidus ſit, modo cedendo, quum res poſtulabit, modo interminando (dignus ſane fide merito haberetur) modo uos, ueſtrámque abſentiam calumniis inſectando, aliquid de ſumma rerum peruertat, atque conuellat. Atqui quod in rebus Philippi permunitum uidetur, uix ut oppugnari poſſit, idem & nobis percommodum eſt. Nam quòd ille rerum omnium, nulla excepta, ſolus dominus ſit, imperator, quæſtor, ubique ſuis copiis præſit, ad res quidem bellicas mature conficiendas, & omnia in tempore gerenda longe ſuperior eſt, ad conditiones uero cum Olynthiis ineundas, cui rei mirifice ſtudet, longe aliter ſe habet. Neque enim Olynthiis obſcurum eſt ſeſe hoc tempore nõ de gloria, aut agri parte certare, ſed pro excidio, pro ſeruitute à patriæ ceruicibus depellenda: neque ignorant quid in eos Amphipolitas egerit, qui ei patriam prodiderunt. Quid in Pydnæos, qui eum terra receperunt? Demum tyrannidem rem infidam, & ſuſpectam liberis ciuitatibus eſſe exiſtimo, præſertim ſi agros finitimos habeant. Itaque & hæc non ignorantes, & cuncta alia conſyderantes diligenter, dico uos oportere incitari

Nòbis quoque non pro agri finibus, ſed pro libertate, pro capite, pro patriæ ſalute dimicandum eſt.

uelle,

uelle, belló que gerendo, ſi unquam nũc certe maxime incumbere, pecunias haud ſegniter conferendo, per uos met exeundo nihil prorſus omittẽdo.

Dicit uos oportere excitari, & incumbere bello gerendo, ſi unquam nunc certe in primis.

Neque enim aut ratio, aut excuſátio ulla uobis amplius relicta eſt, quin, quæ agenda ſunt, peragatis.

Docet non uerbis, ſed rebus opus eſſe.

Nam quod cuncti fremebatis quondam Olynthiorum animos Phillippo infeſtos reddendos eſſe, ultro euenit, & ſua ſe ſponte obtulit: atque id eo maxime modo, quo uobis conducit. Si enim uobis ſuadentibus bellum ſuſcepiſſent, fidei ſane dubiæ habendi eſſent ſocii, & ad aliquod uſque tempus non ſemper id decreuiſſe fortaſſe uiderentur. Quum uero iniuriis ab illo laceſſiti, odio hominem perſequantur, conſtãtes eos inimicitias geſturos, cum propter metũ, tum propter offenſas ueriſimillimum eſt.

Quid enim tergiuerſari amplius poteſtis Turco ceruicibus ueſtris imminente?

Non eſt igitur oblata occaſio prætermittenda, Athenienſes: neque patiendum quod ſuperiori tempore ſæpenumero paſſi eſtis: nam ſi quum olim rebus euboicis auxiliati reuerſi ſumus, & ad hæc ipſa ſubſellia Hierax, & Stratocles, Amphipolitæ aderant hortantes,

Si olim opitulati eſſemus Bizantio.

ut maritimo apparatu profecti, urbem ſuam acciperemus, idem pro nobis ipſis ſtudiũ præſtitiſſemus, quod pro Euboicorum ſalute, & tunc nimirum Amphipolis in ditionem noſtram ueniſſet, & nunc moleſtia omni careretis, quæ inde ſecuta eſt. Rurſus ſi quum Pydnam, Methonem, Potydeam, Pagaſas, reliqua, ne in ſingulis diutius immorer, obſideri aſſerebatur, alicui ex iis cito, &(ut res poſtulabat)opem ferre aggreſſi eſſemus, faciliore profecto Philippo, & humiliore uteremur.

Non egreſſus eſſet in Aegeum Turcus, non diruiſſet miſerã Chalcidem, ſi quum Ciliciam, Miſiam, Pannoniam inferiorem obſideri renunciatum eſt, opem tuliſſemus.

At uero dũ præſentes rerum occaſiões abiicimus, dum futura proſpere ſua ſpõte euentura putamus, auximus Philippum nos ipſi Athenienſes: tantúm que ipſum reddidimus, quantus unquam rex Macedonum extitit nemo. Nunc autem ſeſe exhibet occaſio. quænã, inquies?

Audite principes, uobiſcũ loquitur. dum enim negligitis oblatas occaſiones hoſtis opprimẽdi, dum confiditis uobis languentibus rẽ proſpere ſucceſſuram, en quomodo auxiſtis Turcũ.

A rebus olynthiacis ſua ſponte noſtræ ciuitati, quæ nulla in re primis illis inferior eſt. Equidem ſi quis res, quæ nobis diuinitus datæ ſunt, æquitate adhibi-

ſupputare

ta ſupputare uoluerit, quanquam plæraque non ſatis commode accidiſſe uidentur, tamen eum magnas diis gratias merito habiturum exiſtimo. Quòd enim multa bello amiſimus, iure optimo deſidiæ noſtræ aſcripſeris. Quod autem & iam pridem id non paſſi fuerimus, & nuper ſocietas nobis extiterit,

Deſidiæ noſtræ aſcribas, quæ ut maxime diuturna fuit, ita grauiſſimas peperit calamitates.

quæ ſuperiora omnia reſarcire ualeat, modo ea uti uelimus, deorum immortalium beneuolentiæ erga nos acceptum referendum plane affirmauerim. Verum hoc perinde eſſe arbitror, atque in pecuniarum poſſeſſione contingere ſolet. Si enim quaſcunque quis acquiſiuerit, eas ſeruet incolumes, ingentes habet fortunæ gratias: ſin uero incautius conſumpſit, conſumpſit etiam unà recordationem habendi fortunæ gratias. In rebus idẽ, qui occaſione non recte uſi ſunt, ne commodi quidẽ, ſi quod deorum beneficio ſunt conſecuti, recordantur: ex ultimo enim rerum euẽtu ante acta omnia plærunque penſitari ſolent. Quam ob rem in reliquis ualde proſpiciendum eſt, ut eorum emendatione, ſuperiorum factorum labem deleamus. At ſi hos etiam homines perdiderimus Athenienſes, & Olynthum præterea Philippus occupauerit, demonſtret mihi quiſpiam quid ſit amplius impedimen

Si pedem paulo ulterius intulerit turcus, quis te obſecro, pro=

to futurū, quo minus, quo libido animi tulerit, contendat. An ne ueſtrum aliquis animaduertit, & rationē uidet, qua Philippus quum initio pertenui in ſtatu eſſet, repente magnus euaſit? Amphipolim primo cepit, deinde Pydnam, iterum Poditæam, rurſum Methonē, demum in Theſſaliam euaſit, deinceps Pheras, Pagaſas, Magneſiam. Cūctis uero ut libuit cōſtitutis, in Thraciam ſe contulit, ibi aliis eiectis regibus, aliis reſtitutis, aduerſa ualetudine laborauit. Qua quum paululum leuatus eſſet, non in ſegnitiem ſeſe dedit, ſed Olynthios ſtatim adortus eſt. Non dico nunc de illius expeditionibus aduerſus Illyrios, Peonas, Arymbam, & in quancunque uolueris prouinciam. At quiſpiam inquiet, quid nobis iſta commemoras? ut & cognoſcatis Athenienſes quantum detrimenti afferat, rem ſemper aliquam ſingulatim ſine re præterlabi, & plane aduertatis philippi in rebus agendi ſtudium acerrimum, & curam aſſiduam: cum qua pariter uitam ducit: ob quam rebus à ſe geſtis minime

hibebit, quo minus in Italiā perueniat?

Bizantiū primo, deinde Trapezuntem, Synopenſes, Mitylenæos, Peloponeſios, Miſiam, Ciliciam, & reliqua.

Talis eſt hoſtis noſtri uigilantia.

Heu quantum detrimēti inde nobis manauit.

me

me contẽtus: deinceps fieri non põterit, ut in quie-
te permaneat. Quod ſi ille maius aliquid ſemper mo
liendum decreuerit, uos contra nullam rem fortiter
obeundam iudicaueritis, quem tandem rerum exi-
tum ſperare debemus? Proh deum fidem, quis ue-
ſtrum adeo tardi ingenii eſt, & inconſulti, qui ſi ne-
glexerimus, bellũ huc conuerſum iri neſciat? Quod
ſi euenerit, equidem uehemẽter timeo, ne ueluti fœ
nerati, qui facile ex magnis fœnoribus breui tem-
pore in rerum copia uerſati, poſtremo bona omnia
funditus amiſerunt: ita nos ignauiæ dediti, & ad libi
dinem cuncta quærentes, tandem uel inuiti multa,
& grauia ſubire cogamur, & de iis, quæ noſtro in a-
gro ſunt periclitari. Atqui re
prehendere inquies, fortaſſe,
& facile, & cuiuſuis eſt, ſed
de p̃ſenti negocio quidnam
agendum ſit edocere, ſenato
toris. Ego uero etſi comper-
tum habeo uos, quum præ-
ter ſententiam, & ſpem ali-
quid euenerit non mali au-
ctoribus, ſed iis, qui ſenten-
tentiam ultimo loco dixe-
rint iraſci ſolere, non tamen
propter priuatæ ſecuritatis ra
tionem, mihi ſilentio præte-
reunda arbitror, quæ uobis profutura exiſtimo: Di-

Italiæ nõn ne (proh
dolor) uobis timen-
dum eſt, ne dum alie
nam opem expecta-
tis, dum in alios cul-
pã reiicitis, demũ in-
tra mœnia, intra la-
res domeſticos non
ſine ingẽti periculo,
& libertatis, & capitis
cum hoſte prælium
inire cogamini.

co

co igitur uos biſariam rebus opitulari oportere, partim oppida, agrúm que Olynthiorum tutando, emiſſis militibus, qui id præſtent: partim fines Philippi cũ terreſtri exercitu, tum claſſe maritima incurſionibus depopulando. nam ſi alterum utrum neglexeritis, uereor, ne tota expeditio fruſtra, temeré que à uobis ſuſcepta ſit, ſiue enim uos illius agrum uaſtetis, íd que interea ſuſtineat, & Olynthum ui capiat, uictor in patriam reuerſus, facile iniurias ulciſcetur, ſiue ſubſidia Olyntho duntaxat mittatis, ille fines ſuos periculo carere animaduertens, acrius rem urgebit, temporís que diuturnitate obſeſſos, in poteſtatem rediget. Itaque & firma, & bipartita auxilia mittenda ſunt.

Quid agendum ſit, audite chriſtiani principes.

Sapientiſſimum conſilium.

Hæc in ope fereda fieri oportere ſtatuo. De facultate uero pecuniæ inueniendæ, ſunt uobis pecuniæ militares, ſunt uobis pecuniæ Athenienſes, & quidem tot, quot mortalium nemini: eas autem uos ut libet, accipitis. Eas certe ſi militibus reddetis, nullæ uobis deſunt præterea: ſin minus præterea deſunt, immo uero omnes penitus inue-

Pecuniæ, de quibus uerba facit, ex publico ærario populo diſtribuebantur: ac ſancitum erat per legem capitis pœna, nequis legem ferret, ut in alium aliquem uſum conuerterentur. Mira igitur eloquentiæ ratione Demoſthe-

niendæ ſunt. quid? inquies: refers ne tu ad ſenatum eas pecunias militares eſſe debere? minime me hercule. Ego uero milites inſtruendos eſſe cenſeo, & pecunias, quæ iis ſubminiſtrandæ ſunt, militares eſſe, mutuúm que eſſe oportere præſtare operam, & pecuniam accipere. Vos autem neſcio quo pacto eas per ocium ad dies feſtos accipitis. Qua re uideo reliquum eſſe, ut cuncti pecunias in medium conferatis, ſi multis opus eſt, multas: ſin paucis, paucas. Enimuero pecuniis opus eſt, opus inquam eſt pecuniis, ſine quibus nihil opportunum effici poteſt. Commemorant alii etiam alias comparandæ pecuniæ rationes: ex quibus eam diligite, quã uobis conducere exiſtimetis: atque dum commodum eſt, rem aggredimini. Sed eſt æquum conſyderare, rationé que colligere, quo in ſtatu res Philippi hoc tempore uerſentur: nam neque ut uel uidentur, uel quiſpiam æſtimaret, qui eas parum diligenter inſpexiſſet, ſatis belle ſe habent: neque eo pacto, quo ſe haberent, ſi optimo in ſtatu eſſent. Nunquam ſane arma mouiſſet Philippus, ſi manum ſibi conſe=

nes de iis obſcure, & caute loquitur.

Pecunias ĩ publicum conferre uos oportet ad tanti belli apparatum.

Nunquam Turcus, ſi aliquẽ ad fauces Helleſponti hoſtem offenſurum putaſſet in Aegeum erumpere, in Euboiam irruere

auſus eſſet.

rendam putaſſet, ſed ut initio ita deinceps faciles oẽs proſperóſque rerum euẽtus ſperauit. At ea deceptus eſt opinione, quod quũ præter expectationẽ primum acciderit, ualde ipſum perturbat, nõ mediocrémq; eius animo ſolicitudinẽ affert. Accedunt res Theſſalorum, quæ quũ ſemper infidæ omnibus natura fuerint, maxime ueluti erant nunc etiam iſti ſunt. Nam Pagaſas ab eo repetere decreuiſſe debet, & Magneſiam mœnibus cingi prohibuerunt. Equidem ex quibuſdam audiui, eos non amplius permiſſuros, ut uel portorii, uel fori redditus percipiat. Quod ſcilicet ex iis Rempublicam Theſſalorum adminiſtrari oporteat, non Philippo aliquid prouenire. Quibus pecuniis ſi priuatus fuerit, in maximam profecto alendi exercitus difficultatem adduceretur. Denique Pæones, & Illyrici, ac omnes alii eiuſtemodi homines, ſuis legibus uti in libertate uiuere libentius, quàm ſeruire uelle exiſtimãdi ſunt: quippe qui nunquam alteri parere conſueuerunt. Ac ille quidem (ut aiunt) ualde contumelioſus eſt. quod ſane minime mirãdum uidetur: nam feliciter agere præter meri-

Ita ſperauit Turcus, ſed ipſe nondum ſua opiniõe deceptus eſt.

De ſociis Turci ita iudicandum: nam & Cariæ, Ciliciæ que dominũ Caramanum, & alios multos infenſos habet: qui ſi ſpem erectam uiderint, omni conatu & ſe in libertatem uindicabunt, & hoſtem ulciſcentur.

tum,

tum, inſaniẽdi cauſam dementibus præbet. Quam ob rem partas opes tueri, quàm initio eas quærere plærunque difficilius iudicatur. Veſtræ igitur partes ſunt Athenieſes, has tẽporum, illius difficultates, ueſtram ducere occaſionem, ſtatím que rem ſuſcipere, & legatos mittendo quo mittendi ſunt, & in militiam exeundo, & alios omnes hortando: Illud quæſo animis ueſtris parumper concipite, ſi Philippus talẽ aduerſus occaſionem arripiat, iuxtá que fines noſtros bellum geratur, qua tandem animi alacritate eũ huc impetum facturum putatis? At uos nõ pudet? & quæ pateremini, ſi ille poſſet, eadem quum facultas ſit, inferre nõ audebitis? Neque uos lateát Athenienſes uobis hodie ſtatuẽdum eſſe, utrum illic uos an ille hic bellũ geſturus ſit. Si enim res Olynthiorum reſiſtent, uos illic belligerabitis,

Valde eſt contumelioſus, & crudelis Turcus.

Ita bellum ſuſcipiendũ, ut uos prius exeatis, ueſtró que exẽplo exteras uires prouocetis: neque ſperandum eſt, ut exteri, & alieni nobis opitulentur, niſi nos primum rebus noſtris feramus opem. Nam (ut eſt in prouerbio peruetteri à Romanis uſurpato) Deus adiuuat facientes.

O nos languidos, ò ſegnes. ille ſeruitutem, exilia, cædem oſtentat nobis, ac denunciat: & nos ſedemus, non expergiſcimur, non imus in aciem? nón ne plane perſpicimus in noſtra nũc

& illius agrum damno afficietis, ſimul agri ueſtri fructus ſecure percipietis. At ſi Philippus regionem illam occupauerit, quis eum tandem, quo minus huc perueniat arcebit? Thebani? At quod nolim nimis acerbe dictum uideri, unà etiam ipſi paratiſſime irrumpent. Phocenſes? Scilicet qui ſe domi tueri nequeunt, niſi uos, aliús ue opituletur. At (inquies) nolet fortaſſe. abſurdiſſimum ſane fuerit, ſi quæ quamuis amentiæ arguatur, tamen iactare nõ deſiſtit, ea ipſa quum demum poſſit efficere, nolit.

eſſe poteſtate, illic ne nos, an ille hic bellum gerat? non eſt cunctandũ, non dormiendum diutius.

Porro quantum interſit bellum ne hic, an illic geratur, equidẽ nec uerbis opus eſſe arbitror. Nam ſi triginta dũtaxat diebus nos in caſtra morari neceſſe fuerit, & quæcunque ad uſum exercitus neceſſaria ſunt, ex agro ueſtro percipere, nullo inquam prorſus hoſte in agro uerſante, plus ſane detrimenti agrorum dominos inde capturos exiſtimo, quàm omnia illa eſſent, quæ in ſuperioris belli apparatum conſumpta fuiſſent. Quod ſi bellum aliquod huc ingruerit, quanta uos obſecro, iactura reſurans affectum iri putatis? Accedet contumelia, & rei turpitudo, quam nemo ſapiẽs ullo damno leuiorem duxerit. Itaque his omnibus

Tum demum ſentietis, quum experiemini, quãtum interſit.

Diuites accipite & ue

conſyderatis, cuncti opitulari, & totam belli molem illuc conuertere debent locupletiores, ut pro multis, quæ recte poſſident, paucis erogatis, reliquis libere, & ſecurius fruantur. Iuuenes uero, ut rei militaris diſciplina in Philippi agro eruditi, ad rem ſuam familiarem incolumem tutandam formidoloſi cuſtodes efficiantur. Denique oratores ut rerum à ſe geſtarum rationes facilius reddere poſſint, qualis etenim fuerit rerum ueſtrarum eruditio, tales in eos iudices futuri eſtis. Omnium uero gratia uobis bene, ac feliciter euenire opto.

ba, & conſilium Demoſthenis, ut paucis erogatis, reliquis libere fruamini.

FINIS.

HOC EST Italiæ principes ſummi illius, ac ſapientiſſimi uiri Demoſthenis conſilium non alienum à noſtro: illius ſententia, quàm ſimillima noſtræ. Nec Athenienſibus ſolum aduerſus Philippum Macedonem, ſed omnibus Italiæ populis, ſed uniuerſis chriſtianis aduerſus Turcorum tyrannum, noſtræ religionis truculẽtiſſimum hoſtem, prædicere hæc, proponereque uidetur. Conditioni

præſentis

præſentis temporis quæ loquitur, accommodata ſunt omnia, & ad hunc, quem cernimus, rerum ſtatum mirifice quadrant. Sequamur igitur tanti uiri conſilium, qui cum in omni doctrinæ genere, tum uel maxime in ciuilis diſciplinæ ſcientia, & fuit, & ab omnibus merito habitus eſt excellens. In communis hoſtis excidium inſurgamus. commune exiſtimemus imminere periculum, commune bellum aggrediamur. non ignaue, nō lente, non parce, non, ut fieri quum de re aliena certatur, conſueuit, quemadmodum hactenus factum eſt, ſed fortiter, ſed celeriter, ſed liberaliter, ſed (ut fieri in proprio diſcrimine mos eſt) tantum quiſque in hac re conferat principes chriſtiani, quantum pro ſalute imperii ſui quoties res exegit, non dubitauit effundere. & quantum diligenti ratione habita, uniuſcuiuſque uires, & facultates patiuntur. nō unius, alteriús ue hoc opus eſt, hoſtem habemus fortiſſimum, potentiſſimum, acerrimum, ceruicibus noſtris imminentem : ſatis, ſupér que negocii omnibus ſimul erit. Sed nec exteræ chriſtianorum gentes nobis deerunt, dum nos uiderint nobis ipſis nō deeſſe, aderūt, fauebunt, ſuppetias ferent. Neque nos deſeret ſaluator noſter Chriſtus Ieſus, ſed audiet nos, atque exaudiet, modo nos uiderit digne ea, quæ decet, facientes, opem ſuam implorare. Nam (ut præclare alibi Demoſthenes inquit) non modo Deus, ſed ne amicus quidem rogandus eſt, ut dormitanti cuiquam, aut deſidi præſi-

dio

dio ſit. Enimuero ſi hæc, quæ diximus, faciemus, non modo tutari, quæ ſuperſunt, ſed etiam quæ perdita ſunt recuperare, cœleſti præſidio poterimus: alioquin magno diſcrimini res italas exponemus. Et ut cum ea diſiunctiua orationem terminem, qua ſuperioribus diebus audita tum primum Chalcidis obſidione, in pontificio ſenatu uſus fui. Aut omnis Italia compoſitis, ac pacatis rebus, & omni ſimultate depoſita, omnium uiribus in unum collatis, Deo optimo maximo duce, Turcorum uires conteret, atque infringet: aut ſi quod duo de uiginti iam annis poſt Bizantii excidium experti ſumus, inanibus duntaxat uerbis, ac uanis pollicitationibus uacabimus, breui tempore uniuerſa Italia, ſed compeſco labellum, nec id exprimam quod auditu quoque dirum, atque horribile eſt. Quare, ut grauiſſima declinemus pericula, atque optatam uictoriam conſequamur, uos omnes principes, populi que chriſtiani, ut omni ad id ſtudio incumbatis quantis maximis poſſum precibus oro, atque obteſtor.

FINIS.

Errata inter imprimendum.

a. pag. 6. uer. 6, lege euomat. pag. 8. uer. 16. le. alter alterum. b. pag. 1. uer. 18. le. iuere perditum. pag. 2. uer. 6. le. cedendum. pag. 3. uer. 11. le. noluerim. uer. 23. le. diſpicerem. pag. 8. uer. 14. le. paruo. uer. 19. le. formidini. d. pag. 2. uer. 12. le. At ea. pag. 6. uer. 17. leg. euertendam. e. pag. 1. uer. 21. leg. conficitur. pag. 4. uer. 5. leg. parete. f. pag. 3. uer. 20. le. armatorũ. pag. 6. uer. 2. le. defendenda. uer. 28. le. qua ſi. pag. 8. uer. 20. le. belli. g. pag. 1. uer. 4. le. turpe. pag. 2. uer. 3. lege Marius. uer. 6. le. peditum equitum ſexaginta. pag. 8. uer. 10. le. uobis. pag. 5. uer. 15. le. Itali. uer. 22. le. lares. pag. 7. uer. 17. leg. deligite. pag. 8. uer. 10. lege debent.

a b c̃ d e f g h i quaterniones omnes.

Romæ
In ædibus Franciſci Priſcianenſis
Florentini M D XLIII.